








Praes. 1827.

HUNGARAE CONSTITUTIONIS

ORIGINES

GENTIS INCUNABULA

ET

DIVERSAE SEDES

QUAE

E GRAECIS, LATINIS, SYRIACIS, ARABICIS, SLOVENIS ET DOMESTICIS FONTIBUS

DEDUXIT

GREGORIUS DÁNKOVSZKY,

LITERARUM GRAECARUM IN R. ACADEMIA POSONIENSI PROFESSOR R. P.

Cum tabula geographica priscas Hungarorum sedes exhibente.

SUMTIBUS AUCTORIS.

Prostat apud Jos. Landes, Andr. Schwaiger et C. F. Wiegand, Bibliopolas.

POSONII 1826,

typis Heredum Belnayanorum.

— — — Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.



SPECTABILI AC PERILLUSTRI

DOMINO

GEORGIO BARTAL

DE BELEHÁZA

INCL. COMITATUS POSONIENSIS ORDINARIO VICE-COMITI

MERITISSIMO,

AD REGNI COMITIA DEPUTATO,

RERUM HUNGARICARUM

PERITO AESTIMATORI

D. D. D.

AUTOR.

Ut mons Caucasius petit altum tergore coelum,
Gloria sic gentis diffusa ad sidera fertur;
Utque cacuminibus dominatur candidus Elburs,
Arpadi germen FRANCISCUS sic micat altus:
Tutans ad pelagum sancta olim foedera gentis,
Quae sedes, non virtutem, mutaverat unquam.
Cujus Tu, BARTAL, dividis decorasque labores.

LECTURIS SALUTEM PLURIMAM AUTOR.

Qua terra genteque orti sint Hungari diu quaerebant, varia comminiscebantur eruditi, fontibus, e quibus veritatem haurirent, aut neglectis aut summis duntaxat labiis degustatis. Equidem fontibus fundotenus exhaustis monumentum posui, quod, dum tabulae fidem habebunt,

firmum stabit. Nec amplius viri graecarum literarum periti de Hungarorum sedibus priscis eorumque origine ambigent, sed in templa Cliûs Byzantinae penetralia ingressi, adytis imis perlustratis hoc efferent clarum oraculum: *Hungaros esse genere Hunnos*, olim terrae *supra Caucasios montes potitos*. Et hos Graecis Musis initiatos sacerdotes libenter audiam, si cujus erroris me admonuerint. Reliquis illud Horatii dictum esto: „Odi profanum vulgus, et arceo." Hinc ab Anonymis, Pyrrhoniis et Abderitanis id postulo, ut non pravas interpretationes, sed ipsum graecum textum mihi opponant; aequis enim armis est dimicandum.

Quod de Hungarorum origine et solo natali agens, Turcorum, Bulgarorum,

Avarorum aliarumque gentium res explicui, noli aegre ferre, lector benevole; collustrata enim harum gentium historiâ, hactenus quoque tenebris tectâ, clariorem quoque lucem Hungarorum res nanciscuntur. Qui plura de Hungaris, eorum sedibus priscis, et qua ratione Magyarorum nomen sint adepti, scire desiderat; adeat opusculum: „Hungarae gentis avitum cognomen, origo genuina, sedesque priscae ducentibus Graecis scriptoribus detectae a Gregorio Dankovszky.“ Posonii 1825. Pleniorem notitiam sibi comparabit, qui consuluerit: „Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge, nach den griechischen Quellen bearbeitet von Gregor Dankovszky.“ Preſsburg 1825. I. Heft. Valete.

Scribebam Posonii, 1825. anno Constitutionis millenario, Patribus Patriae ad Comitia congregatis.

Constantinus Romanorum imperator, anno 905. in purpura natus, et anno 959. scribens, eodemque anno mortuus, primorum Hungariae ducum aequalis, Leonis Sapientis, qui Hungarorum, id temporis in Moldavia degentium, operâ, adversus Simeonem Bulgarorum regem usus est, haud minus patre eruditus filius, verbo: testis omni exceptione major, in libro ad Romanum filium in historia et administrando imperio erudiendum conscripto, quatuor diversas, diversis temporibus, ab Hungaris habitatas telluris plagas recenset. *)

Antiquissimas easque primas, quatenus memoria proditum est, Hungarorum sedes ait fuisse in regione, cui nomen *Léveddig*, (Λεβεδία cum graeca terminatione) et quam *Kimász* (Χιδμᾶς) fluvius permeat. Ex *Léveddig*, a *Kimász* fluvio, Hungari ad *Atel* et *Kuzu* fluvios habitatum transivere, quae plaga a fluviis his eam irrigantibus *Atelkuzu* dicta, secundas Hungarorum sedes constituit. Sic fata tulere, ut *Atelkuzu* relictâ, Hungari aliam glebam quaererent, cujus ad tempus potirentur. Itaque sedes tertias sibi procurarunt in plagis, quas *Baruch*, *Kubú*, *Trullus*, *Brutus* et *Seretus* fluvii aquis recreant.

*) Vide Constantinum Porphyrogennetum, de administratione Imperii Orientalis. c. 38. et 40.

Finem laborum dedit Hungaris *Magna Moravia*, quae iis ita dulcis evaserat, ut nec Superi nec Acheron hocce vetustate sacratum natale solum iis eripere valuerint.

Si vel in equis solum natale progeniemque requirimus, quanto magis refert gentis incunabula et historiam nôsse. Ast incassum ad hunc usque diem, viri eruditione clari, in detegenda Hungarorum prisca patria et generatione desudarúnt, cum sacra scriptorum graecorum penetralia pervestigare pigeret. Equidem id mihi laudis sumere liceat, ut non aniles fabulas, sed probatissimorum scriptorum testimonia in medium proferam, lectorem non in vastum conjecturarum gurgitem immittam, sed argumentis solidis in firma terra sistam, nec aliud, quam veritatis studium sectari satagam.

Regionem, quam Prutus et Sêretus permaneant, hodiernam Moldaviam esse, mortalium nullus ambigit; nec ullus disceptabit, Trullum esse hodiernum Danastrem, qui Turla hodie quoque audit. Kubu et Baruch sunt ad ortum Trulli seu Danastris, Constantinus enim ab occasu ortum versus fluvios hosce recenset; sit ergo Kubu hodiernus Kugalnik, Baruch vero hodiernus Baraboy, qui uterque ad ortum Danastris fluunt.

Tertiae igitur Hungarorum sedes erant certissime in hodierna Moldavia et Bessarabia, unde a Leone Sapiente Constantini Porphyrogenneti patre, contra Bulgaros in auxilium accersiti fuere.

Quartas Hungarorum sedes in magna Moravia fuisse et esse, nonnisi mente captus in controversiam vocabit.

Ast primae duae Hungarorum sedes, Léveddig nempe et Atelkuzu, ingenia et calamos eruditorum exercebant, nec minus concertatum est, qua gente Hungari orti sint, et tamen, proh dolor! a tot, tantisque pugnis nil certi nilque veri in medium est prolatum.

Quod ad primas seu antiquissimas Hungarorum in Léveddig sedes demonstrandas adtinet, ne importuno loco in adducendis testibus sim prolixior, Scylacis scriptoris graeci ex aevo Andreae I. Hungariae regis, id est, circa medium saec. XI. florentis, testimonio armatus, illum Gordium de priscis Hungarorum sedibus eorumque origine nodum, solvam, non Alexandri M. instar discindam.

Scylax quippe testatur apertis verbis: Hungaros esse Hunnicam gentem, olim plagas boreali Caucasiorum montium lateri adsitas inhabitasse, nunc eosdem esse in Pannonia Istri accolas, et Leoni Basilii filio Romanorum Imperatori adversus Bulgaros suppetias tulisse. *)

*) Juvat ipsa verba Theodori Gazae, qui Scylacis narrationem in Epistola ad Philelphum excitat adferre: „Σκύλαξ μὲν οὖν, ὁ τὰς τῶν Αὐτοκρατόρων πράξεις συγγεγραφὼς ἀπὸ Νικηφόρου τῶν Γενικῶν μέχρι Ισαακίου τοῦ Κομνηνοῦ, ἐφ' οὗ δὴ καὶ αὐτὸς ἦν, ἀνὴρ τὸν μὲν νοῦν οὐκ εὐκαταφρόνητος, τὴν λέξιν δὲ ἰδιώτης ἑκών, Τούρκους ἔθνος οὐννικὸν εἶναι φησὶν, οἰκεῖν δὲ τὰ προσάρκτια τῶν Καυκασίων ὀρῶν — καὶ ἐν Παννονίᾳ γὰρ Τούρκους τῷ Ἴστρῳ προσοίκους ἱστορεῖ Σκύλαξ. — Λέοντά τε τὸν Βασιλείου Ρωμαίων αὐτοκράτορα, συμμαχίαν παρὰ Τούρκων καὶ Οὔγγρων τῶν πέραν τοῦ Ἴστρου εἰληφέναι ἐπὶ Βουλγάρους φησίν. Theodorus Gaza de origine Turcorum. In corpore Historiae Byzantinae Tom. XXIII. p. 120 — 123,



in Bulgaros invaderent," *) et Leo Grammaticus, primis Hungariae ducibus et Constantino Porphyrogenneto aequalis, hanc Hungarorum in Bulgaros expeditionem enarrans, eosdem promiscue Turcos, jam Ungros, jam Hunnos compellat. **)

Quod ad Scylacis grave de Hungarorum sedibus priscis testimonium adtinet, comprobant illud facta historica, quibus majores Hungarorum ad Caucasios montes habitasse ostenditur. Ut autem rei narratae pleniorem notitiam capiamus, juvabit plagas, in quibus Hungarorum majores degebant, ad exemplar antiquae et recentioris Geographiae strictim depingere.

Caucasus mons, a Caspio ad nigrum mare porrectus, isthmum hunc altissimi muri instar intercludit. Ad pedem ejus septemtrionalem planities immensa expanditur maribus Caspio et Asovico conclusa. Fluvii innumeri e Caucaso prorumpentes, valles et campos, in quibus olim majores Hungarorum equos agitabant, recentibus aquis recreant, ***) calor aestivus per ventos e Caucaso et mari Caspio spirantes mitigatur.

---

*) Zonaras Annal. II. p. 139. Δώροις τοὺς Τούρκους ἔπεισε, τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον, οἳ καὶ Οὔγγροι καλοῦνται, τοῖς Βουλγάροις ἐπεξελθεῖν.

**) Leo Grammaticus pag. 365.

***) Fluviorum nomina Hungarica, ad hunc usque diem iis in plagis conservata, qui nosse cupit, adeat opusculum: Hungarae gentis, avitum cognomen, origo genuina, sedesque priscae etc. auctore Greg. Dankovszky, Posonii 1825.

Difficile est dictu, quanta voluptate fuerim affectus, dum intelligerem, a Scylace ea, quae de Hungarorum priscis sedibus et origine, ex probatissimis scriptoribus graecis conquisiveram, fide dignissima auctoritate comprobari; at nec minori admiratione perstringebar, quod inter tot giganteos rerum Hungaricarum indagatores nemo fuerit, qui Scylacis testimonio usus, sedes priscas et genuinam Hungarorum originem determinarit. Rem enim quaesitam habuissent inventam; nec vanis hypothesibus induci potuissent, ut sedes Hungarorum avitas, aut in asperrimo borea, aut in Sinensium limitibus inaniter statuerent, vel nostris diebus, cum summa laude aeque ac maxima commiseratione digno D. Kőrösi in Bucharia frustra quaererent. Dum vero haec sacra scriptorum Byzantinorum penetralia adire negligerent, accidit, ut fonte limpido, e quo veritatem haurirent, destituti, ad conjecturas confugiendo, Hungaros jam a Lapponibus, jam a Kalmukis, jam Tataris, jam Mongolibus, jam ab Avaribus, jam Finnis, jam nescio, qua gente deducerent.

Hungarorum majores Turcorum nomine apud Byzantinos scriptores venire, neminem latet, qui vel primis labiis historicos graecos delibavit. Constantinus Porphyrogennetus nec alio, quam Turcorum nomine, Hungaros insignit. Tardiores Constantino scriptores Turcos, Hunnos, Ungros eosdem vocant. Sic e. g. Zonaras Colomanni regis Hungariae aequalis, seu initio Saec. XII. florens ait: „Leo Sapiens Romanorum impe-„rator Turcos, qui circa Istrum habitant, et qui „etiam Ungri vocantur, muneribus permovit, ut

in Bulgaros invaderent," *) et Leo Grammaticus, primis Hungariae ducibus et Constantino Porphyrogenneto aequalis, hanc Hungarorum in Bulgaros expeditionem enarrans, eosdem promiscue Turcos, jam Ungros, jam Hunnos compellat. **)

Quod ad Scylacis grave de Hungarorum sedibus priscis testimonium adtinet, comprobant illud facta historica, quibus majores Hungarorum ad Caucasios montes habitasse ostenditur. Ut autem rei narratae pleniorem notitiam capiamus, juvabit plagas, in quibus Hungarorum majores degebant, ad exemplar antiquae et recentioris Geographiae strictim depingere.

Caucasus mons, a Caspio ad nigrum mare porrectus, isthmum hunc altissimi muri instar intercludit. Ad pedem ejus septemtrionalem planities immensa expanditur maribus Caspio et Asovico conclusa. Fluvii innumeri e Caucaso prorumpentes, valles et campos, in quibus olim majores Hungarorum equos agitabant, recentibus aquis recreant, ***) calor aestivus per ventos e Caucaso et mari Caspio spirantes mitigatur.

---

*) Zonaras Annal. II. p. 139. Δώροις τοὺς Τούρκους ἔπεισε, τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον, οἳ καὶ Οὔγγροι καλοῦνται, τοῖς Βουλγάροις ἐπεξελθεῖν.

**) Leo Grammaticus pag. 365.

***) Fluviorum nomina Hungarica, ad hunc usque diem iis in plagis conservata, qui nosse cupit, adeat opusculum: Hungarae gentis, avitum cognomen, origo genuina, sedesque priscae etc. auctore Greg. Dankovszky, Posonii 1825.

Meridionali Caucasi tergo adjacet Lazica et Iberia testantibus cunctis scriptoribus. Lazica, olim Colchis dicta, in orientali maris nigri ora sita et per Phasim fluvium, hodie Rion dictum, dissecta est. *)

Lazica olim proprios habuit reges clientelae jure Romano imperio junctos, **) hodie Gh̃uriam, Mingreuliam et Imeretham, Russici Imperii provincias constituit, et circa Anacriam urbem, 42° 29′ lat. 53° 10′ long. sitam, hodieque Lazi habitant. ***)

Iberia ad ortum Lazicae sita, hodie Orientalibus Gurdhistan, Russis Grusia, Europaeis Georgia audit. Iberia olim a Christianis habitata, jam Persici jam Romani erat dominii, nunc Russicam constituit provinciam Grusiam nomine. Septemtrionem Iberiae limitat Caucasus mons, per quem trames angustus, olim portae Caspiae, seu Iberiae nunc portae Caucasiae dictae, sub 62° 30′ long. patet. ****)

Tiphilis urbs, hodie Tiflis dicta, in Iberia seu hodierna Georgia, ad pedem montis, quem Cyrus, hodie Kur dictus fluvius alluit, sita est. Ad meridiem Iberiae Armenia, regio montosa, olim inter Romanum et Persicum Imperium divisa, nunc dominio Turcorum et Persarum subjecta, sita est.

---

*) V. Procopium de bello Gotthico IV. 2.

**) Vid. Procopium de bello Persico II. p. 306.

***) Vid. Dr. G. Hassel russisches Asien. p. 695.

****) Vide Procopium de bello Persico I. 10. et 12. Theophanis chron. p. 236. et Hassel op. cit. p. 707.

Harum igitur regionum descriptionem in tabula geographica nobis ob oculos sistamus, et quae ibi majores Hungarorum gesserint, consideremus. Anno 617. salutis majores Hungarorum, ab Heraclio Romanorum Imperatore adversus Persas in auxilium vocantur; quem memoratu dignum eventum SS. Theophanes et Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, uterque VIII. Saec. florentes, sic expediunt: *)

„Chosroës Persarum rex" inquiunt „anno „617. collectis undique copiis, novam expeditio„nem adparavit, altero exercitu sub ductu Sais „adversus Heraclium Imperatorem misso, altero „sub Sarbari imperio ad expugnandam Constan„tinopolim expedito. Quibus intellectis Heraclius, „copiis trifariam divisis, exercitu uno ad Con„stantinopolim contra Sarbarum tutandam reli„cto, altero sub Theodori fratris sui ductu con„tra Saën misso, ipse cum tertio, mari nigro tra„jecto, in Lazicam adpulit, indeque in Persicas „provincias irrumpere parabat. In Lazica" (provincia, ut diximus, ad meridiem Caucasi montis, in ora maris nigri orientali sita) „moratus, „mittit Heraclius Imperator ad Turcorum" (majorum Hungarorum) „dominum," (τῶν Τούρκων κύριον, ita enim Graeci Hungaricum Ur interpretantur) „invitans eum in belli societatem; qui do„nis acceptis, suppetias se laturum promittit. „Fausto hoc nuntio exultans Heraclius, ipse Tur„corum principi obviam ire contendit. Turcorum „dominus superatis Caspiis portis" (tramite nempe illo angusto per Caucasum ducente) „et au-

*) Theophanis chronogr. p. 209 — 210. Nicephorus p. 9. — 10.

„dito Imperatoris adventu, cum ampla suorum „manu Heraclio obviam fit, et ab equo desiliens, „humi Imperatorem Romanum veneratur. Idem „obsequii venerationisque exhibet ejus comitatus. „Imperator eminentem hanc reverentiam sibi prae„stitam considerans, significat Turcorum domino, „ut, si haec signa firma amicitia niterentur, equo „vectus accederet, simulque eum filium suum „compellat. Szivvel“ (Ζιεβὴλ hoc enim nomen Turcorum domino erat) „in amplexus imperato„ris venit, qui coronam suo capiti demptam, Tur„ci capiti imposuit. Haec spectantibus de Tiphili“ (urbe Iberiae e regione portarum Caspiarum) „Persis agebantur. Postea Turcorum Dominum „epulo recreatum, vasis omnibus convivio inser„vientibus, veste imperatoria et inauribus mar„garitis exornatis donavit; simili modo et re„liquos e Szivvel comitatu principes inauribus pro„pria manu Heraclius condecoravit. Metuens ta„men Imperator, ne, quam ab Avarorum Cha„gano expertus erat perfidiam, eadem a Turco„rum domino deludatur, utque sibi conventionis „pacta firmiora redderet, ei filiae Eudociae ima„ginem monstrat, inquiens: Dum Deus nos uni„vit, te meum filium reddidit. Ecce haec est „filia mea, Romanorum Augusta. Itaque si mi„hi adstipulatus auxilia suppeditaveris adversus „hostes, eam tibi in uxorem do. Is imaginis pul„chritudine, et, qui hanc condecorabat, ornatu „captus, atque amore ipsius Eudociae accensus, „multo magis in societatem cum Heraclio ineun„dam incumbebat. Mox igitur 40,000 genero„sorum virorum exercitu, una cum duce Impe„ratori tradito, ipse ad lares suos rediit. Turci „in Persicas ditiones invadentes, urbes vastabant „et sacri ignis delubra evertebant. Subinde He-

„raclius Eudociam filiam Constantinopoli ad se „evocavit, ast sponsum caede sublatum intelli- „gens, eam redire jussit.“

Eundem hunc eventum claris verbis attingit. Nestor scriptor Russicus Saec. XI. ajens: Ugri imperante Heraclio, qui adversus Chosroëm Persarum regem bellum gerebat, innotescere coeperunt. *) Supra Caspias igitur portas sive angustum tramitem, per quem in Iberiam, sive hodiernam Georgiam recta ad urbem Tiphilim itur, habitabant majores Hungarorum.

Eosdem ibidem degentes anno 724, 755, et 756. adhuc deprehendimus, testante S. Theophane, „Imperatoris“ enim „Leonis Isauri, co- „gnomine Iconomachi anno 15. Salutis 724.“ ait S. Theophanes „Masalmas Arabum dux, **) bel- „lum in Turciam movit, et superatis Caspiis por- „tis, metu correptus, est reversus.“

„Constantini Copronymi anno 23. salutis 755, „exiverunt Turci e Caspiis portis, et occiderunt „multos in Armenia, et praeda multa locupletati „rediverunt.“

„Constantini Copronymi anno 24. salutis 756, „venerunt iterum Turci ad Caspias portas, et in „Iberiam, et manu conserta cum Arabibus, ex „utraque parte occubuere multi.“

Idem testantur scriptores Arabici et Syriaci. Sic in annalibus Islamismi ad annum Chr. 733.

---

*) Nestor Annal. p. 45.

**) Notandum est, ab Heraclii Imperatoris aetate Arabes provincias Romanas et Persicas, Armeniam, Iberiam et Lazicam sui dominii fecisse.


600010695R

gam, eadem fere cum Kuma directione, Caspium mare versus permeat.

Magis remotus a portis Caspiis est Kuban, qui itidem e Caucaso prodiens, occasum versus, limpidas aquas in mare Asovicum mittit. Ast Kuban Graecis dicitur Kophen (Κωφὴν). Inter nomina Kimâsz et Kuma major intercedit similitudo, quam inter Kimâsz et Terek. Post 900 annos, ex Kimâsz enatum esse nomen Kuma seu Gumysch, (nam et sic vocatur fluvius hic) facile concedet is, qui geographiae est peritus. Sic Danubius hodie Donau, Tibiscus hodie Tisza, Vistula hodie Weichsel, Borysthenes hodie Dnepr, Tyras hodie Dnestr etc. vocatur.

Quidquid contra argutetur Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény 1825, fasc. II. Historia et geographia non argutiis, non ratiociniis, sed experientia et factis nititur. Sed audiamus grave et ponderosum ejus argumentum: „Kimâsz" ait „non potest esse hodiernus „Kuma, quia secus Constantinus Caucasum mon„tem commemorasset." Si igitur Carpathos non commemorando, Hungaros ad Danubium habitare dicas, quivis exemplo Anonymi Recensentis negare poterit, Danubium in vicinia Carpathorum ruere, et Hungaros ad Danubium habitare. Cur Scylax et Procopius montes Caucasios, Theophanes et Nicephorus, Syriaci scriptores Portas Caspias, Constantinus Kimâsz fluvium commemorent, dum de sedibus patrum Hungarorum priscis loquuntur, velit nobis rationem reddere Anonymus Recensens.

Nos fortassis rem acu tangemus, si dixerimus, Constantinum septem stirpium, a quibus Hungari descendunt, sedes designasse, reliquos

vero scriptores de sedibus totius gentis verba facere.

Melius igitur, quam omnes illi heroës saeculi XVIII et XIX. Anonymus Belae Regis Notarius, quem famigeratissimi Germanici historiae antiquae indagatores, fabulatoris stigmate immerito notarunt, noverat priscas Hungarorum sedes, ajens: „Majores Hungarorum post Tanaim fluvium, „Maeotim paludem, mareque nigrum in immen„sa planitie habitasse.“ *) Originem sedesque priscas Hungarorum utique nosse poterat antiquissimus hic domesticus scriptor, nec cum mendaciis in publicum prodire ausus fuisset, cum Hungari adhuc aetate Constantini Porphyrogenneti i. e. circa medium saeculi X. legatos ad suos populares in Persiam mittere, indeque nuntios recipere solebant. **) Optime etiam noverat Nestor scriptor Russicus Saec. XI. unde Hungari venerint, dum narrat: Hungaros ab Oriente venisse, penes Kiowiam urbem transgressos ad Danaprim fluvium substitisse, et contra ibidem habitantes Slavos et Valachos bellum movisse. ***)

Plagas, quas Kuma fluvius e Caucaso prorumpens, et cum Caspio mari se uniens, permeat, ratione Danapris fluvii ad artum sitas esse, nemo tabula geographica conspecta negabit.

Imo idem Nestor *.) dicit Caucasios montes, etiam Ugricos (Ugorski, slavice Uhorsky)

*) Anonymus Belae regis Notarius hist. duc. C. I.

**) Constant. Porph. de adm. J. O. c. 38.

***) Nestor Annal. p. 53.

****) Nestor Annal. p. 40.

vocari. Russos, qui Hungarum nomine Ugor insigniunt, Slavi pro G Russico et Polonico litteram H amantes eundem Ubor (pronuncia Uhor) appellant, Caucasios montes ideo Ugorski vocavisse, quod Hungari in Caucasi vicinia olim habitabant, nemo non videt. Et hac de causa Hungarorum majores Slavos, a quibus per Maeotim paludem et Tanaim fluvium, *) inde ab antiquo aevo disterminabantur, tóntúl, i. e. incolas trans lacum, vocitabant. Pro tóntúl succincte dicebant tót, quemadmodum plebs Hungara pro tudom pronunciat tom, hodieque Slavus apud Hungarum Tót audit. Slavorum nomen Tót a Slavico toto derivare, omni historico caret argumento.

Hungarorum majores apud Romanos Orientales, Syros Arabesque non tantum Hunnorum, sed quoque nomine Turcorum venisse, et inter has nationes fuisse notissimos, earundem gentium annales testantur. Ast Hungarorum avis non omni tempore Turcorum nomen fuisse, non solum totius Hungarorum priscae historiae decursus ostendit, **) verum etiam Constantinus scriptor purpuratus, cui imprimis Hungari suorum incunabulorum, vicissitudinum, conditae constitutionis, sacrati illius Hungarae gentis Palladii, historiam in acceptis referre debent, de Hungaris Pannoniam incolentibus loquens, expressis ver-

*) Vide Gregor Dankovszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge I. Heft, Presburg 1825.

**) Heraclii aetate i. e. initio saec. VII. primum Turcorum nomine Hungarorum patres occurrunt, nec Turcorum nomen ante Justini II. Imperatoris tempora i. e. med. saec. VI. in historiis comparet, id quod opportuno loco ostendemus.

bis testatur, dum ait: „Non dicebantur antiqui-„tus Turci, sed Závár (Σαβαρ) e quadam causa „cognominabantur.“ *)

Σαβαρ vocem peregrinam, ἤτοι vero et ἄσφαλοι graeca vocabula esse, quivis, cui Pierides Musae arrident, primo oculi ictu videt. An Hungarorum avi monstroso hoc nomine, „*Savartiasphali*“ e sua et graeca lingua conflato, compellabantur? — Credat Judaeus Apella! Nos nomen Σαβαρτοιασφαλοι, quo olim Hungarorum patres insignitos fuisse, Constantinus ait, per Σαβαρ ητοι ασφαλοι integritati restitutum esse convicti sumus, e sequentibus rationibus. 1mo Constantinus nomina propria populorum graece solet interpretari sic e. g. inter Patzinacitas dicit tres stirpes, fuisse cognominatas Kangar, quod nobilitatem et fortitudinem significat, **) et Chrobatorum nomen, ait, in slavica lingua denotare homines, qui multam terram possident; ***) nomina quoque cataractarum Danapris fluvii Slavica et Russica per Graecas voces interpretatur. ****) Innumera praeterea exempla interpretationis graecae populorum, regionum, urbium, oppidorum etc. peregrinorum e Constantini Porphyrogenneti libris adferre possem, si necesse foret. 2do Ex-

*) Οὐκ ἐλέγοντο δὲ τῷ τότε χρόνῳ Τοῦρκοι, ἀλλα Σαβαρ τοι ἄσφαλοι ἐπωνομάζοντο Constant. l. c.

**) Const. Porphyr. cap. 37.

***) A slavico hrubý, magnus, amplus. Const. Porphyr. cap. 31.

****) Nomina harum cataractarum qui nosse cupit, adeat opusculum: Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge von Greg. Dankovszky, 1. Heft, p. 29. et 30.

plicandi particula ητοι Constantinus noster frequenter utitur e. g. „ὁμήρους ἤτοι ὄψιδας“ *) ὅμηρος vadem significat, quam vocem sua aetate minus usitatam per ὄψιδα, magis usitatam, explicat Constantinus interjiciendo particulam ἤτοι sive, id est. **) Ceterum unam alteramve literam deesse, abundare, voces duas, pluresve in unam contractas occurrere, innumera exempla in chirographis et editionibus est deprehendere. Facile igitur ex particula ἤτοι littera η exciderat. Hoc in casu lex Joannis Davidis Michaelis, viri in arte critica nulli facile secundi, erit observanda. Is, adductis aliquot e sacris bibliis locis, in quibus duae voces in unam contractae, aut litterae omissae in editionibus et manuscriptis deprehenduntur, rem sic decidit: „Si de his similibusque locis quaestio „oriatur, ait laureatus ille criticus, quomodo legi „debeant; quaestio haec non e nostris editioni„bus, non ex antiquis chirographis, sed ex legi„bus artis hermeneuticae est decidenda.“ ***) Qui igitur negaverit voces, quae in unam contractae nullum sensum praebent, separatae vero perfectum sensum habent, qui, inquam, negaverit voces has sejungendas esse, is cum laudato Anonymo Recensente in Tudományos Gyűjtemény 1825. fasc. II. in Exegesi et Hermeneu-

---

*) Const. Porphyr. cap. 1.

**) Anonymus Recensens in Tudományos Gyűjtemény 1825. fasc. II. dubitans, an ἤτοι „sive, id est“ significet, atque ad Schneideri Lexicon graecum provocans, macram graecae lingvae cognitionem prodit.

***) Johann David Michaëlis, Einleitung in die göttlichen Schriften des N. B. IV. Ausgabe, 1 Theil, S. 866.

— — — Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.



SPECTABILI AC PERILLUSTRI

DOMINO

GEORGIO BARTAL

DE BELEHÁZA

INCL. COMITATUS POSONIENSIS ORDINARIO VICE-COMITI

MERITISSIMO,

AD REGNI COMITIA DEPUTATO,

RERUM HUNGARICARUM

PERITÒ AESTIMATORI

D. D. D.

AUTOR.

„Galatiam et Pontum depraedati sunt, et parum „abfuit, quin Euchaita urbem cepissent."

Ecce Caspias portas, per quas majores Hungarorum, subinde Turcorum nomine insignitos, frequenter transiisse, e fide dignis testimoniis didicimus.

Iterum Hungarorum majores nomine *Hunn Závár* aetate Justiniani I. seu circa medium saeculi VI. Persis adversus Romanos juncti, et duce *Elmintz Úr* (Ελμινζουρ) contra Romanos in Lazica i. e. in ora maris nigri orientali, et in plaga meridionali Caucasi, pugnantes occurrunt. *) *Elmintz Úr* (latine „prudens dominus") esse nomen Hungaricum, quivis Hungaricae lingvae gnarus, primo obtutu videt.

Hungarorum majores Hunnorum nomen non penitus amiserant, postquam Turcorum nomine insigniri coeperunt; quod e testimoniis superius adlatis cognoscere licet.

Quemadmodum nulli controversiae est obnoxium, Patzinacitarum cognomine *Kangar* nobilitatem et fortitudinem designari, idque ex Constantini Porphyrogenneti narratione merito credimus; ita quoque inane esset, de vi cognominis *Závár* (Σαβαρ) disceptare, postquam ejus interpretationem graecam a Constantino accepimus; quin imo summae vanitatis et damnandae temeritatis esset facinus, si in explicando nomine *Závár* viro illi purpurato, ab eruditione claro, aetati, qua Hungarorum majores, planitie Caucaso monti adsita et ora maris Caspii occidentali relicta, in

---

*) Agathias Scholasticus, scriptor coaevus. Lib. IV. p. 86.

Bessarabiam et Moldaviam transmigraverant, suppari palmam eripere contenderemus. Jam cognomen *Závár*, quo majores Hungarorum insignitos fuisse ait, per graecam vocem ἄσφαλος reddit Constantinus. Ἄσφαλος Constantini, ἀσφαλέος Herodoti, *) ἀσφαλής Atticorum, imo Graecorum hodiernorum, idem est ac: *firmus*, *tutus*, *securus*. **) *Závár* igitur ex interpretatione Constantini Porphyrogenneti idem esse ac: *firmus*, *tutus*; nemo

---

*) Herodotus Lib. V. Cap. 52.

**) Sic e. g. Herodoti l. c. ὁδὸς ἀσφαλέος, est; *via tuta* et *secura*; Xenophonti in Cyropaedia II. 1. 9. ἀσφαλής est: *tutus*, *sine periculo cladem accipiendi*; Aeliniano V. H. II. 52. 3. ἀσφαλής ἐνοικῆσαι ἡ πόλις est: *urbs ad habitandum tuta*; et si omnes graecos autores excitarem, nullam aliam, quam hanc vocis ἀσφαλής vim extundere possem. D. Josephus Szabó in Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. IV. Fefsleri conjecturam, qui Savartiasphali ex *szabados-felesek* fortassis ortum esse pronuntiat, sic salvare conatur, ut asserat, ἄσφαλοι ex α privativo et σφαλος, quod *compedes*, seu *lignum*, quo *pedes constringuntur*, denotat, esse compositum; ἄσφαλος ergo idem ac *liberum* significare, id quod ex Riemeri lexico graeco et Xenophontis Cyropaediae VIII. 1. 43. confirmare adnititur. Ast ἄσφαλος hoc significatu apud nullum auctorem graecum occurrit; deinde quaerimus e D. Szabó, unde sciat Hunnos *Závár* duntaxat compedibus immunes, caeteros Hunnos compedibus constrictos fuisse. Denique in loco Cyropaediae a D. Szabó excitato, ἀσφάλεια non *libertatem*, sed sicut constanter et ubique *firmitatem* et *securitatem* denotat. Xenophon enim, postquam a §. 43 — 45. exposuerat, quibus artibus Cyrus populos in officio continuerit, ne rerum novarum essent studiosi, et Persarum imperium everterent, subjungit: sic Cyrus universo Persarum imperio *securitatem* et *firmitatem* procurabat (τῇ μὲν δὴ ὅλῃ Περσῶν ἀρχῇ οὕτω τὴν ἀσφάλειαν κατεσκεύαζεν.)

facile in dubium vocaverit. Sed quare Hunni, Hungarorum majores *Závár* i. e. *tuti* cognominabantur? Constantinus Porphyrogennetus quidem dissertis verbis commemorat, causam aliquam adfuisse, cur Závár cognominarentur ajens: „Non „dicebantur tunc temporis Turci, sed Závár (Σα„βαρ) i. e. *tuti* (ἀσφαλοι) ex quadam causa cognomi„nabantur;" *) quae vero causa illa fuerit, in medio relinquit. Itaque, sive ipse Constantinus causam ignoraverit, sive sponte eam commemorare neglexerit, nos eam ex historicis rationibus detegere adnitemur.

Hunnos *Závár* (Σαβαρ-Σαβηρ) cognominatos, per *Portas Caspias* saepe numero in ditiones Persicas aeque ac Romanas excurrisse, annales Imperii Byzantini testantur. Sic Cedrenus ad annum 25. Anastasii, salutis 517. refert, Hunnos, qui *Závár* dicuntur, Caspiis portis egressos, Armeniam, Cappadociam, Galatiam, et Pontum praedas agendo percursasse, **) quas excursiones in ditiones Romanas et Persicas frequentes fuisse, apparet e tabulis pacis Justinianum I. inter et Chosroëm Persarum regem initae; cujus primo articulo statuitur, ut Persae *Portas Caspias* custodiant, nec permittant in Romanas ditiones incursare *Hunnos* aut *Alanos* aut alios barbaros. ***) Excursiones hae erant funestissimae. Sic in Chronico Edesseno lingva Syriaca conscripto legimus: ****) „Anno 843. (Graecorum) 532. (Roma-

*) Const. Porph. cap. 38.

**) Οὖννοι οἱ λεγόμενοι Σαβὴρ, τὰς Κασπίας πύλας περάσαντες. Cedrenus p. 85.

***) Procopius de bello Persico p. 267.

****) Apud Assemanum in Bibliotheca orientali Tom. I. p. 415.

„norum) die 18. Decembris *Hunni* facta in terras „Romanorum incursione, vastitatem longè latè-„que circumtulerunt, usque ad agrum Alepino-„rum et ad duodecimum ab urbe Antiochia lapi-„dem. Ea ex clade concepto moerore contabuit „Mar Demosthenes" (qui anno 531 mense Julio Edessam venit Romanarum copiarum dux creatus) „et in urbe Tela die 10. Januarii ejusdem „anni mortuus est" Adeo calamitosae *Hunnorum* in Romanas provincias erant excursiones, ut lugubribus carminibus sermonibusque memoriae traderentur. Anno Christi 404. Absemias Presbyter, sororis beati Mar Ephraemi filius, de *Hunnorum* excursione in Romanam dititionem hymnos et sermones syriacos composuit. *) et S. Isaac cognomento Magnus, Presbyter Antiochenus *Hunnorum* in Romanas provincias anno salutis 397. factam irruptionem in carmine syriaco, cui titulus „Deprecatio, seu de rogationibus" sic canit: „Terra loquuta est" (terraemotus Antiochiae) „ut „nos expergefaceret ad occurrendum novissimae „diei. Quale tonitru in nubibus, sic terraemotus „in habitaculis loquutus est. Gladio nos *Hunni* „percusserunt, nec tamen somnum excussimus. „Suis nos lanceis Arabes confoderunt, et tamen „adhuc dormitamus." **)

Opportunum locum descriptio *Portarum Caspiarum*, per quas *Hunni*, Hungarorum avi, in Romanas et Persicas ditiones excurrere solebant, heic occupare videtur.

„Ultra Iberiae limites „ait Procopius Caesa-„riensis" est trames quidam in loco Caucasi an-

---

*) Asseman op. cit. Tom. I. p. 401.

**) Asseman op. cit. Tom. I. p. 230.

„gustissime ad 50 Stadia porrectus; trames hic „in praeruptum et penitus impervium locum de„sinit, transitus enim nullus caeterum adparet; „praeterquam, quod natura heic portam antifi„ciosam struxit, quae *Caspia* ab antiquo aevo vo„catur. Post hanc *portam* campi sunt equis agi„tandis idonei, copiosis aquis irrigui, regio equis „pascendis apta et plana, ubi *Hunnorum* gentes „fere omnes sedent, usque ad Maeotim paludem „pertingentes. Hi si per *portam*, cujus modo me„mini, in Persarum et Romanorum ditiones eunt, „equis recentibus vehuntur; nec uspiam circuitum „facere coguntur, nec in loca abrupta incidunt, „praeterquam in ea ad 50 Stadia porrecta, quae „usque ad Iberum limites, ut dictum est, pertin„gunt. Sin vero per alias vias patentes eunt, „multis cum molestiis adveniunt, nec amplius iis„dem equis uti possunt. Tum enim coguntur „multis ambagibus anfractus praeruptos, supera„re. Quod cum Alexander Philippi filius obser„varet, foribus in loco supra descripto structis, „arcem condidit, quam alii tempore labente te„nuerunt, et *Hámba-Zúg* *) Hunnus quidem ge„nere, Romanis vero et Anastasio Imperatori (A. „C. 491 — 518.) amicus. Hic *Hámba-Zúg* post„quam supremam senectutem attigerat, et mori„turus erat, expeditis ad Anastasium legatis, pe„cunias sibi dari postulat, pro quibus arcem et „*Portas Caspias* Romanis traditurus erat. Ast Ana„stasius re pensitata, ubi perspexerat, non posse „militi commeatum suppeditari in loco a rebus „plane omnibus nudo, nec vicino genti ulli, quae „Romanis pareret; gratias quidem homini multas,

*) Hámba-Zúg i. e. in vel cum helciis strepens, vox Hungarica, quam Procopius *Αμβαζούκης* scribit.

„pro ejus in se benevolentia, agit: rem vero ipsam „habet in postremis. Non multum post *Hamba-„Zúg* morbo mortem oppetiit, Cabades vero Per-„sarum Rex, filiis ejus vi exactis, portas occu-„pavit.“ *)

Eodem modo describunt *Portas Caspias* hodierni Geographi:

„Ad Ossetiae orientales limites „ait C. Ro-„mel“ **) sita est *porta Caucasia* et limitanea arx „*Dariel* nomine, quae saxo praecelso et ab occi-„dentali parte duntaxat accessum habente super-„structa est, et valli, montibus praeruptis et ru-„pibus conclusae, imminet. Fauces hae exiguo „praesidio et parvo munimento provisae, in ex-„pugnabiles sunt.“

Nunc *Portae Caspiae*, nomine *Portarum Caucasiarum*, aut *Dariel* veniunt, et Russici sunt Imperii, Russique jam ante has Portas plura valla-ta et castella habent, e. g. *Grigoripolim*, arcem ante fauces Caucasias sitam, *Wladikawkas*, principale castellum, quod propriam clavim ad *Portas Caucasias* constituit, Cosacorum et Venatorum praesidio provisum, et *Dariel* arx antiqua, quam Procopio testante Alexander M. in bello adversus Darium Persarum regem struxit, et quae fortassis ideo hodieque Dariel vocatur; unde olim, uti aetate Justini II. (566 — 578.) trames ipse *Darinus* †) dicebatur, in limitibus Grusiae, olim Iberiae dictae, tutandis portis Caucasiis destinata est, quo in loco exigua cohors exercitum magnum arcere potest. ††)

*) Procopius de bello Persico. I. 10.

**) Romel die Völker des Caucasus. Weimar 1808.

†) Ἀτραπὸς Δαρεινή. Excerpta de legationibus pag. 74.

††) Hassel das Russische Asien. Pag. 707.

Supra has *Caspias Portas*, quae teste Theophane etiam *Iberiae* portae, quia ex Iberia per Caucasum montem ducebant, *) vocabantur, et ab arce *Darina*, trames quoque *Darinus* cognominabantur, sedes Hunnorum *Závár* cognominatorum erant. Licet tot tantisque testimoniis evicerimus, Hunnos *Závár* ultra Caspias Portas in planitie a Terek, Kuma, Kuban, aliisque fluviis irrigata habitasse; tamen eorum territorium accuratius determinare placet.

Ad mare nigrum, ubi hodie *Tscherkessi* habitant, *Zichorum* regio fuit. *Abasgi* hodieque suas antiquas sedes tenent. *Abasgis* contermini erant *Alani*, in hodierna magna *Kabarda* degentes, et usque ad portas Caspias pertingentes. Hunni *Závár* itaque *Zichis* et *Alanis* contermini, domini erant camporum, quos superior *Kuban*, *Kuma* et et *Terek* fluvii permeant. **)

Quibus praemissis, facile divinare possumus, qua de causa Hunni hi *Závár*, *ἀσφαλοι*, seu: *tuti*, *securi*, vocitarentur. Tuti erant, quod Caucaso monte et arce Darina ad Caspias Portas, qua potiebantur, satis superque ab hostium invasionibus defendebantur. Divus Hieronymus in epistola ad Oceanum arcem hanc vocat *claustrum* Alexandri, et Dionysius Jacobitarum Patriarcha Syrus, qui anno 775 floruit, in suo Chronico ad annum 731. refert: Masalmam Arabum ducem ad *Portas Caspias*, quibus *Hunni* sive *Turci claudebantur*, penetrasse. ***)

---

*) Ἀπὸ τῶν Ιβηρείων πυλῶν τῶν ἐν τοῖς Καυκασίοις ὄρεσιν. Theophanus, Chronographia p. 236.

**) Vide Procopium de bello Persico I. 8. II. 29. de bello Gotthico. IV. 1 — 5. Excerpta de legationibus. Pag. 97. Theophanis Chronographiam p. 260—262.

***) Apud Assemanum op. cit. Tom. III. pag. 106.

Vār est Hungaris *arx* *) *Závár* iis est *claustrum*, *Závárt* seu *Zárt* iisdem dicitur *repagulo* occlusus **) et eo ipso *Tutus*. Et cum populus Hunnicus, quem Byzantini Σαβαϱ et Σαβηϱ nominant a Jornande *Savir* nuncupetur,***) β graecum in vocibus vices τοῦ v agere manifestum est. Nec quemquam offendat Constantinum et reliquos Byzantinos Σ posuisse pro Hungarico Z, sonus enim hungarici Z convenit cum sibilo graeci Σ †)

Quantum conjectura D. Josephi Szabó, qui opinatur ††) in nomine ditionis Sabarato in Grusia (Iberia olim) ad fluvium Cyrum sitae, antiqui cognominis Σαβαϱ (Závár) vestigia superesse, quantum, inquam, conjectura haec, ejusque jocosa Hungarorum ab Afsyriis, Babyloniis, Medis, Per-

---

*) Qui scire cupit, quid hunnicam vocem vár significare eruditi contendant, adeat: Josephi Hager Disquisitionem de vár Hunnorum pariter atque Hungarorum, adversus Paulum Beregszászy Philos. Prof. Patakiensem, Londini 1800. et P. Paulini a S. Bartholomaeo, Carmelitae, Jornandis vindicias de vár Hunnorum. Romae, 1800. editas.

**) Slavi suum zámora (pessulus, obex, repagulum) ab Hungaris mutuassse videntur.

***) Jornandes de rebus Geticis, (Hamburgi 1611.) pag. 85. Saviri legendum esse, ubi editiones Jornandis Aviri vitiose exhibent, e codicibus manuscriptis antiquissimis, qui Saviri exhibent, demonstrat clarissimus Dobrowsky, in Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtkunde V. Band. Hannover, 1821. pag. 673. et 676.

†) Consulat, quaeso, Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény 1825. II. grammaticas graecas, e. g. Neugriechische Sprachlehre von Schmidt. Leipzig, 1808. 8vo et velit audire Graecos litteram Σ pronuntiantes.

††) In Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. IV. p. 56.

sis et aliis deductio valeat, quivis e D. Szabó hypothesibus cum nostris testimoniis collatis pensitare poterit.

Si Σαβαρ non est nomen Hungaricum, certe Armeniacae est originis. Nam apud Xenophontem Cyropaediae. III. 1, 2. occurrit regis Armeniae filius nomine Σαβαρ. Armenii igitur, majores Hungarorum, a quibus per Iberiam et Caucasum duntaxat disterminabantur, et in quorum ditionem Hungarorum avi persaepe, ut superius vidimus, excurrere solebant, Hunnos Σαβαρ vocitabant. Quid Σαβαρ apud Armenios denotet, ignoraremus, nisi Constantinus Porphyr. nobis illud interpretatus fuisset. Nec me piguisset P. P. Mechitaristas nunc Viennae degentes et ex Armenia oriundos adire, si per brevissimam Viennae commorationem mihi licuisset, ex iisque quaerere, quid Σαβαρ in antiqua aut recentiori lingva Armeniaca significet. At vero quod temporis brevitate facere vetabar, amicos id officii mihi praestituturos esse gratulabar, quorum responsum in dies praestolor. Neque improbabile est, vocem Σαβαρ Hungaris et Armeniis olim sibi vicinis communem evasisse, quemadmodum Slavi suum závora (pessulus, obex, repagulum) ab Hungaris mutuasse videntur.

Ego vero antiqui Hungarorum cognominis vim, ex rationibus historicis mihi explicuisse videor, et interpretationem nominis Σαβαρ τοι ασφαλοι in opusculo „Hungarae gentis avitum cognomen, origo genuina, sedesque priscae" propositam, sic emendatam, tibi, lector benevole, lubenti animo trado. Quidquid enim de hac interpretatione statuatur, certum tamen semper manebit Σαβαρ, idem esse ac graecum ἀσφαλος et per Constantini Σαβαρ, et reliquorum Byzantinorum Σαβηρ, Σαβιρ et

Σαβειρ, sic enim in libris editis variat, unum eundemque populum designari.

Hungarorum atavos fuisse *Hunnos Závár* (Σαβαρ) cognominatos, tot tantisque testimoniis virorum fide dignissimorum evictum est, utque adeo novam hypothesim Anonymi Y in Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. VI.; qui Hungaros a Parthis descendere statuit, vix ulla attentione dignam esse, nullus non perspiciat. Attamen Anonymi argumentationes in medium proferre juvabit, ut earundem gravitas adpareat. Sic autem argumentatur Anonymus: Hungarorum lingva, mores, civiles et militares consvetudines, vestitus denique, conveniunt cum lingva, moribus, civilibus et militaribus consvetudinibus Parthorum, ergo Hungari cum Parthis ejusdem sunt originis. Repetamus argumentum: In lingva Hungarica multa vocabula slavica et arabica deprehenduntur, ergo Hungari sunt ejusdem, cum Slavis et Arabibus originis. Taceo Parthorum lingvam nobis esse incognitam. Gallicae lingvae voces sunt plurimae latinae, ergo Galli et Romani sunt ejusdem originis. Similitudo lingvarum non semper communem populorum originem ostendit, frequentissimum duntaxat, quod inter populos intercedebat, demonstrat commercium. Mores vero populorum ejusdem culturae, iidem esse solent, ita quoque domi bellique eadem agendi ratio. *)

Hunni igitur erant majores Hungarorum, quam tot saeculorum testimoniis confirmatam ve-

---

*) Si Anonymus genuinam notitiam Scytharum, a quibus Parthos et Hungaros deducit, sibi comparare desiderat, velit evolvere: Gregor Dankowszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge 1tes Heft.

ritatem, nec Schlözer primus ejus impugnator, nec milleni alii post eum evertere poterunt.

Ut autem confusam, erroneamque notionem, quam cuncti recentiores de Hunnis et Turcis scribentes propagarunt, animis lectorum eximamus, brevis Hunnorum et Turcorum historia opportuno loco nectenda esse videtur.

Triplicis generis Hunni sunt distinguendi: alii ultra Caucasum inter mare Caspium et Asovicum usque ad Tanaim fluvium degentes, a quibus Hungari descendunt; alii in plagis Caspii maris orientalibus ad borealem Orientem Persiae habitantes. *) Alii denique in hodierna Mongolia in Sinensium limitibus habitantes.

Hunnos Persis conterminos, trans mare Caspium habitantes, qui Hunni *albi*, et Hunni *Ephthalitae* quoque ab Ephthalano eorum rege testante Theophane Byzantio, **) proprie vero *Abdeli* vocantur, †) Procopius Caesariensis sic describit: ††) „Perozes Persarum rex (imperavit „445 — 468.) cum gente Hunnorum Ephthalita„rum, quos albos vocant, bellum de regni fini„bus gerebat, et exercitu magno collecto, adver„sus eos perfectus est. Ephthalitae gens quidem „Hunnica sunt, et Hunni nominantur, nullum „tamen commercium aut connexionem cum ali„quo Hunnorum populo, quos nos novimus, ha-

---

*) Procopius de bello Persico I. 10. I. 3. Agathias V. p. 107 — 108. Theophylactus I. 8. III. 6. 9. IV. 6. 10.

**) Vide Photii Bibliothecam ex recensione Immanuelis Bekkeri. Berolini 1824. pag. 26. b.

†) Τὸν ἐθνάρχην τῶν Αβδελῶν, φημὶ δὲ τῶν λεγομένων Νεφθαλιτῶν. Theophylactus. VII. 7.

††) Procopius de bello Persico Lib. I. cap. 3.

„bent; *) siquidem neque regionem iis conter-„minam tenent, neque prope eos habitant; sed „sunt Persis vicini ad boream, ubi urbem *Gorgó* „nomine, in extremis Persarum limitibus habent, „heic de terrae finibus inter sese pugnare solent; „non enim Nomades sunt, quemadmodum reli-„quae Hunnicae gentes, sed in regione admodum „bona, ab antiquo inde aevo sedent; idcirco nun-„quam, nisi cum Medorum (Persarum) exercitu „in Romanorum ditionem invadunt. Soli hi Hun-„norum corpore albi et non deformes vultu sunt, „nec vero vivendi ratio iis, quae reliquis Hunnis „eadem est, nec ferarum instar ut illi vitam de-„gunt, sed et ab uno rege gubernantur et in ci-„vitate legibus constituta viventes, inter sese non „secus ac Romani ritu recto et justo pacta ineunt.“

Hunni hi *Ephthalitae*, seu *Abdeli* hodieque in iis plagis degunt, quas aetate Perozis Persarum regis et Zenonis Romanorum Imperatoris seu ante 1357 annos tenuisse a coaetaneis scriptoribus commemorantur. **) Nam hodieque gens *Abdalla* in Afghanistano regno, Persiae ad ortum contermino, habitat, regnantemque familiam inter Afghanos constituit; ast nunc Tartaris, Indis (Hinduis) aliisque populis immixta est. ***)

Hunni Ephthalitae sive Abdeli aetate Perozis, qui in bello contra eos occubuerat, i. e. circa medium saec. V. culturae et potentiae culmen attigerant. In urbibus enim et pagis habita-

*) Οὐ μέντοι ἀναμίγνυνται ἢ ἐπιχωριάζουσιν Οὔννων τισὶν, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν. Procopius l. c.

**) Procopius de bello Persico I. 3. Theophylactus VII. 7.

***) Vide Dr. Hassel Afghanistan pag. 708. seqq.

bant, *) et per biennium Persarum domini erant, donec Cabades iis tributum pendere denegavisset. Hunni Ephthalitae imperabant quoque Sogdaïtis; **) Sogdiana vero regio erat, quam *Oxus* fluvius, hodie *Amu* dictus, qui in Afghanistana in Hindu-Kuh monte oritur, et in Aral lacum se exonerat, permeat. †)

Alexandri Magni aetate Sogdianae metropolis fuit *Maracanda*, ††) hodie dicitur *Sa-Markand*, in medio pulcherrimae vallis al Sogd dictae sita, fossa et vallo circumdata, et arce munita, quam magnus Chanus Bukharae hyeme inhabitat. In hac urbe Timur, qui orbem terrarum trepido terrore repleverat, sedem principem habuit, et tunc Sa-Markand magnificentiam Orientis, scientias et artes suo sinu complectebatur.

Abdelorum seu Hunnorum Ephthalitarum urbs confinis Persiae, fuit *Gorgo*, hodie *Ghurian*, septem duntaxat milliaribus ab *Herat* urbe dissita. Ad occasum igitur Hunni Abdeli *Margianam* (hodie *Mawer*) et *Bactrianam* (hodie *Balk*) Persiae provincias sibi conterminas habebant, et hodiernum Afghanistan inhabitabant.

Porro Abdeli seu Hunni Ephthalitae aetate Perozis seu circa medium saec. V. sedes suas ad Persiae boream orientalem adhuc tenent, et eo

*) Κατὰ πόλεις ἢ που ἄρα κατὰ κώμας ᾤκουν οἱ Εφθαλῖται; οἱ πρέσβεις. Ἀστικοὶ, ὦ δέσποτα, τὸ φῦλον. Menander Prot. in excerp. de leg. p. 73.

**) Οἱ Σογδαΐται, οἱ πρό του μὲν Εφθαλιτῶν τηνικαῦτα δέ Τούρκων κατήκοοι. Menander Protector in excerptis de legat. p. 71.

†) Γαῖα Σογδιὰς, ἧς διὰ μέσσον ἑλίσσεται ἱερὸς Ὦξος. Dionys. Perieget. orbis descript. vers. 746.

††) Ἀλέξανδρος ἐπὶ Μαράκανδα ἦγε· τὰ δέ ἐστι βασίλεια Σογδιανῆς χώρας. Arrianus de rebus Alexandri III. 30.

potentiae evadunt, ut Persas sibi tributarios reddant, ut superius e testimoniis fide dignis ostendimus. Non igitur Hunni Ephthalitae, sed alii Hunni ab Asovico mari, ad Valentiniani I. initia seu circa medium saec. IV. ad Istrum venerant, Europamque cultam pervastaverant.

Ast tristis sors mansit Abdelos seu Hunnos Ephthalitas. *Turci* hodieque in *Turkestan* degentes, Abdelis ad septemtrionem vicini, eosdem dominatu moverunt, sibique aetate Justiniani I. circa medium saec. VI. imperium asseruerunt, ad quem eventum Ephthalitarum Rex (Βασιλεύς) ansam praebuerat. Is alicujus Ephthalitae uxori stupro per vim illato effecerat, ut Catulphus foeminae hujus maritus, suos populares Turcis proderet, ipseque ad vicinos Persas confugeret. *) Hunni Ephthalitae dominatu exuti et Turcis subjecti, Turci enim urbium quoque, quas Hunni incolebant, domini facti sunt, **) Turcorum nomine, utpote Turcis subjecti, insigniri coeperunt, id quod Theophylactus scriptor coaevus pluribus locis testatur ajens; „Hunni vero hi, ad solis ortum ha„bitantes, Persis vicini, quos Turcos vocare plu„rimis familiarius est" †) et: „Hunnorum, quos „Turcos appellare moris est Persis," ††) Sic Ca-

*) Menander Protector in excerpt. de legat. p. 72.

**) Εὔδηλον οὖν ἤδη, ὁ βασιλεύς, ὡς ἐκείνων (τῶν Εφθαλιτῶν) δὴ ποῦ τῶν πόλεων κύριοι καθεστήκατε; καὶ μάλα ἔφασαν. Turcorum legati ad Justinum II. apud Menandrum l. c. p. 73.

†) Οὖννοι δ' οὗτοι, προσοικοῦντες τῇ ἕῳ Περσῶν πλησιόχωροι, οὓς καὶ Τούρκους ἀποκαλεῖν τοῖς πόλλοις γνωριμώτερον. Theophylactus Lib. I. c. 8.

††) Τῶν Οὔννων, οὓς Τούρκους ἔθος Πέρσαις ἀποκαλεῖν. Theophylactus Lib. III. cap. 6.

bades Persarum rex, Zenonis Imperatoris coaevus, seu saeculo V. ad finem vergente florens, e carcere per uxorem liberatus, ad Hunnos Ephthalitas, dum eorum regnum adhuc staret, confugit et ab eorundem rege benignissime est exceptus. Quem eventum dum Theophylactus (Mauricii Imperatoris aequalis seu saec. VI. ad finem vergente florens) aetate, qua Ephthalitae jam Turcorum jugo suberant, describit, subjungit: „Cabades ad Hunnos confugit, quos Turcos vocari, „multis locis historia notum reddidit, deinde ab „Ephthalitarum rege benignissime fuit exceptus." *) Ad illustrandas Hunnorum res plurimum facit Turcorum historia, quam heic opportuno loco stare putamus.

Turci Justino II. imperante primum Byzantinis innotuere. „Quarto" enim „Justini II. anno" (Christ. 570.) inquit Menander scriptor coaevus **) „legati a Dizabulo Turcorum imperatore „missi, Constantinopolim venerunt; cujus legationis occasio haec fuit. Sogdaïtae prius Hunnis Ephthalitis parentes, tunc vero una cum „Ephthalitis Turcorum imperio subjecti, ab imperatore suo petebant, ut legationem ad Persas „mitteret, quo Sogdaitis eo proficiscentibus, sericum venum Persis exponere liceret. Precibus „cedit Dizabulus, dimittitque Sogdaitas legatorum „munere, Maniach duce, perfuncturos. Qui dum „coram Persarum rege venerant, rogabant de se-

---

*) Καβάδης τοῖς ἔθνεσι τῶν Οὔννων προσομιλεῖ, οὓς Τούρκους πολλαχοῦ που ἡ ἱστορια ἐγνώρισεν. Theophylactus IV. 6.

**) Menander Protector, in excerptis de legationibus pag. 72. seqq.

„rico, ut absque ullo impedimento, mercatus ejus „procederet. Persarum vero rex, (minime enim „ei talia placebant) ut non exinde immunitas iis „esset, in Persarum limitibus pedem ponendi, re „in crastinum dilata, altero iterum die mora ute„batur. Cum vero alio atque alio modo negotium „praesens repulsaret, Sogdaitis assidue urgenti„bus et instantibus, Chosroës ad concilium vo„care constituit. Et tum Catulphus ille Ephtha„lita, (qui ob stuprum, a suo imperatore uxori „violenter illatum, suos populares Turcis prodi„derat, et interea temporis transfuga factus Per„sis studebat) svasit Persarum regi, sericum ne„quaquam remittere, sed emere et pro eo pretium „pactum deponere, spectantibus vero legatis igne „id absumere, ut neque injuste agere, neque se„rico, quod a Turcis adfertur, se uti velle vide„retur. Serico igni vastato, legati hoc eventu „minime gavisi ad sua redeunt. Domi, Dizabulo, „quae contigerant, nunciatis, mox is aliam lega„tionem ad Persas expedit, eorum regiminis sibi „amicitiâ jungendi studiosus. Ubi iterum Turco„rum legati advenissent, Persarum rex unâ cum „primoribus et Catulpho judicabant, omnino in„utile esse Persis amicitiam cum Turcis inire; „Scythicum enim genus esse mutabile. Imo le„gatorum nonnullos veneno interimi jussit, ut „in posterum Persiam Turci adire aversarentur. „Et sane plurimi de Turcorum legatis, si tres aut „quatuor excipias, veneno cibis admixto, Persiae „alicubi vitam abruperunt. Mox per Persiam ru„mor incedebat, Turcorum legatos ab aestu solis „Persici suffocante perivisse, utpote, qui regio„ni frequenter nivibus conspersae assveti essent, „et nonnisi sub frigida coeli temperie vivere pos„sent. Turcorum ii, qui insidias Persarum effu-

„gerant, tristem hunc eventum sic contigisse alias „quoque putantes, dum in patriam redeunt, ea„dem, quae Persae, ipsi quoque divulgant. Ast „Dizabulus, (mentis namque acumine eminebat) „facinus illud non ignoravit, sed viros a sese le„gatos dolo peremtos, quod revera etiam sic se „habebat, existimavit. Hinc videlicet inimicitia „Persas inter et Turcos initium sumsit. Et Ma„niach, qui Sogdaitarum legationem duxerat, hac „occasione opportuna usus, Dizabulo suadet, uti„lius esse Turcis partes Romanorum amplecti, „ad eosque sericum venale perferre, utpote qui ma„jorem in modum, quam reliqui homines, serico „utuntur, seque ad hanc legationem, cum Tur„cis sociis obeundam, paratissimum esse decla„rat. Annuit his verbis Dizabulus ipsumque Maniach „et alios quosdam ad Romanorum imperatorem, „legatorum munere perfuncturos, salutationes, „insuper serici dona non pauca, et litteras perla„turos dimittit. Maniach epistolis instructus iti„neri se adcinxit. Et via longissima confecta, re„gionibus quam plurimis peragratis, montibus „maximis excelsisque superatis, campis et valli„bus, lacubus fluviisque trajectis, deinde Cauca„sum ipsum montem transgressus, tandem By„zantium pervenit. Regiam ingressus, cum coram „Imperatore esset, omnia, quaeque ad amicitiam „contestandam firmandamque faciunt, egit, et lit„teris atque donis, viris, quibus id officii incum„bebat, traditis, rogabat, ne inanes tanti itineris „sudores sibi redderentur. Verum imperator, „lectis per interpretes litteris scythicis, benevo„lentissime legationem excepit. Tum legatos de „Turcorum principatu (ἡγεμονίας) et regione per„contabatur. Cui legati, quatuor Turcis esse „principatus, imperium vero universae gentis pe-

„nes unum Dizabulum esse reposuerunt, et Eph-„thalitas quoque sibi subjecisse, ad solvendum-„que tributum coëgisse dixerunt. Omnem igitur, „ajebat Imperator, Ephthalitarum potentiam vo-„bis attribuistis? Omnino, legati responderunt. „Iterum Imperator: utrum in urbibus, an in vi-„cis habitant Ephthalitae? Legati: Urbes, o Do-„mine, incolit haec gens. Manifestum igitur jam „est, inquit Imperator, vos eorum quoque urbi-„um dominos factos esse. Maxime, dixerunt. Im-„perator: Itaque nos de numero Avarorum, qui „jugum vestrum excusserant, edocete, et an ali-„qui adhuc apud vos sint. Sunt, o Imperator, „qui adhuc pietate erga nos feruntur, profugorum „vero 20,000 esse existimo. Deinde populis, qui „Turcis parebant, enumeratis, enixe rogabant Im-„peratorem, ut pax et armorum societas Romanos „inter et Turcos constaret, dixeruntque se quoque „esse paratissimos ad Romanorum Imperii hostes, „quiqui ad terram eorum aggregentur, armis in-„festis depellendos. Post haec Maniach, et qui „cum eo erant, manibus alte sublatis, maximo ju-„rejurando interposito, asseverarunt: haec recta „sinceraque mente dicta esse. Insuper diras sibi „et Dizabulo, imo universae genti imprecabantur, „nisi pollicitationes hae verae et adimplendae es-„sent. Sic igitur Turcorum gens Romanis ami-„ca facta est, et nostram non alias frequentavit „civitatem."

„Justinus" refert alio loco Menander *) „cum „ob multas alias causas, tum praecipue a Turco-„rum gente ad bellum adversus Persas movendum „animatus est. Turci enim irruptione in Mediam

*) Menander Protector in Excerptis de legationibus pag. 77.

„(Persiam) facta partem ditionis vastarunt. Prae„terea ad Justinum legatos eo fine miserunt, ut „et ipse simul Persas bello impeteret, et ut uni„tis viribus utriusque gentis hostes domarent, par„tesque Turcorum potius amplecterentur, postu„labant. Sic enim Romanis ex una, Turcis ex „alia parte invadentibus, rem Persarum publicam „interituram esse. Qua spe Justinus sublatus, fa„cile putabat se Persarum potentiam eversurum „et ad nihilum redacturum; qua propter omnia „pro viribus apparabat, ut amicitiam cum Turcis „in securitate haberet."

Horum igitur Turcorum, a quibus Hungari non descendunt, ut inferius videbimus, avita patria fuit in hodierno Turkestan, ubi hodieque eorum reliquiae, ast a Kirgisis et Usbekis sub jugum missae sunt superstites. Hodiernum Turkestan plagam inter Aral lacum, Kirgisos, Sinensem Mongoliam, Kokan et Osrushnah complectitur *) Utique igitur legati Turci, Maniach duce, longissimam viam Constantinopolim confecerant; Turkestan enim sub 87° long. Constantinopolis sub 46° 35′ long. jacent. Itaque si Maniach rectissimâ progressus fuisset, 41 gradus seu 615 milliaria germanica confecisset. Turcorum sedes in hodierno Turkestan fuisse, e relatione legatorum, quos Justinus II. eodem quarto Imperii anno Augusto mense Maniacho duce, Constantinopoli domum redeunti adjunctos, ad Turcorum imperatorem miserat, abunde intelligimus, quem memoratu dignum eventum, idem Menander scriptor coaevus sic expedit: **)

*) Dr. G. Hassel Dschagatai p. 830.

**) Menander Protector in Excerptis de legationibus p. 102. seqq.

„Cum Turci, qui olim Sacae (Σακαι) vocabantur, ad Justinum legationem de pace colenda „adornarent, Imperator (Justinus) consilium cepit „vicissim legatos ad Turcos mittere. Itaque Zemarcho Cilici, qui tunc temporis urbibus ad ortum sitis praefectus erat, mandavit, ut ad hoc „negotium suscipiendum se pararet. Zemarchus „igitur omnibus ad tam longum iter necessariis instructus, quarto Justini anno ad finem vergente, „initio mensis Augusti una cum Maniacho ejusque sociis Byzantio (Constantinopoli) movit. Post „multarum dierum iter Zemarchi comites ad ipsa „Sogdaïtarum loca adpellunt, et quum ex equis „descendissent, Turcorum nonnulli ferrum iis venale offerebant; (cui negotio vacare videbantur) „mea quidem opinione id egerunt, ut ostentarent, „sibi ferri metalla esse. Ferrum enim res apud „eos nequaquam abundans esse dicitur. Quare „licet conjicere, eos hac ostentatione usos fuisse, „ut se terra ferri ferace potiri innuerent. *) Alii „dein aliquot de hac gente pro se quisque comparentes, quos malorum depulsores esse dicebant, prope Zemarchi comites accesserunt, et „hac de causa, omnia quaeque verba leni susurro efferebant. Tintinnabulo quodam et tympano „strepitum facientes, super tabula foliosos arboris thuriferae ramos flamma crepitum edentes „circumferebant; ac unâ in furorem acti et infrementes, mala abigere videbantur. Sic enim

*) Non recte observavit rem Zemarchus, nam hodieque ferri montes (Eisengebürge) ad septemtrionale littus Amu (Oxi) fluvii, ubi Dehasch amnis eidem unitur, in hodierna Bucharia fastigantur (Vide tabulam geographicam geographiae Asiae a Theophilo Friderico Ehrmann in der Länder und Völkerkunde, Pragae 1812. editam, tom. 10.)

„averrunci quidam et malorum depulsores esse „putabantur, detestabilia omina, ut opinabantur, „expiando avertentes, Zemarchumque ipsum per „flammam traduxerunt. Hoc modo et sese ex„piare existimarunt. Quibus hac ratione peractis „Zemarchi comites cum ducibus viae sibi datis eo „proficiscuntur, ubi Chaganus ipse erat, per „montem videlicet aliquem, qui dicitur Ektag *) „('Εκτάγ) quem graecus vir aureum montem in„terpretaretur. Cum in aurei montis vallem ali„quam pervenissent, in qua tunc Dizabulus (Tur„corum Chaganus) morabatur, accersiti et in con„spectum Dizabuli mox admissi fuerunt. Is vero „erat intra tentorium, sedens in sella aurea dua„bus rotis instructa, quae, dum opus erat, ab „uno equo trahebatur. Barbaro salutato, dona „more solito depromebant, quae huic officio va„cantes recipiebant. Tum Zemarchus, Tibi, in„quit, tot gentium duci, noster Imperator ma„gnus, me nuntio utens, significat, in perpetuum „tibi fortunam faustam secundamque esse, si Ro„manorum res in deliciis habueris, nosque ami„citia complexus fueris. Sit, ut inimicos semper „superes, et hostes semper spolies, absit omnis „invidia, quam longissime a nobis, quae amicitiae „pacta disrumpere posset. Mihi Turcorum gen„tes accomodatae sunt, et quotquot populi Tur„cis parent. Nostra vobis, et vestra nobis ami„citia esto. Talia circiter dixit Zemarchus. Simili „quoque adloquio usus est Dizabulus ipse. Dein„de ad epulas conversi, diem convivando trans-

*) Ektag, nunc Aktau seu albus mons ad meridiem Sir-Daria, seu Jaxartis fluvii fastigatus. Dr. G. Hassel l. c.

„egerunt, in ipso Chagani tentorio, quod e ta-„petibus sericis, variis coloribus mirum in mo-„dum distinctis adornatum erat. Vino quidem „utebantur, non tamen ex uvis, ut apud nos mo-„ris est, expresso, (neque enim vitifera iis terra „est, neque id modi potus in eorum ditiones in-„fertur,) sed alio barbarico dulci et cocto potu „satiati, ad sua deverterunt. Postero die in alio, „aeque pannis sericeis velato et exornato tentorio „convenerunt, in quo etiam statuae formâ diver-„sae positae erant. Dizabulus in lecto, qui totus „ex auro erat, sedebat. In medio conclavis erant „pocula aurea et aspergilla, praetereaque dolia au-„rea. Iterum epulati, et quae potationi conve-„niunt, loquentes et audientes recesserunt. Se-„quenti die aliud domicilium adiverunt, ubi co-„lumnae ligneae auro obductae erant, et lectus „quoque ex auro cusus, quem quatuor aquilae au-„reae sustentabant. In anteriore tentorii hujus „parte longe lateque protendebantur currus, in „quibus magna argenti vis, disci et lances erant. „At vero quadrupedum quoque plurimae figurae, „argento elaboratae inerant, quae elegantiâ iis, „quae apud nos parantur, nihil cedebant. Id igi-„tur luxus Turcorum duci inest. *) Zemarchi co-„mitibus ibi adhuc morantibus, visum est Diza-„bulo, ipsum Zemarchum cum viginti ministris „et pedissequis secum ad expeditionem adversus „Persas accipere, reliquos vero Romanos rever-

*) Hanc auri copiam Turci testante Theophylacto III. 6. a Persis devictis extorserant, indeque sibi vasa varia conficienda curaverant. Ast Mauricii Imperantis anno 8vo seu 590 Ormisdas Persarum rex Turcis ad incitas redactis auro Persico recepto tributum insuper sibi pendendum Turcis imposuit.

„tentes in regione Choliatorum *) Zemarchi re-
„ditum exspectare. Dizabulus ubi progressus erat,
„eos in signum suae benevolentiae donis exorna-
„tos dimisit et Zemarchum praeterea puella capti-
„va, quae e populo Kerchis (Κερχὶς) dicto **) erat,
„honoravit. Et Zemarchus cum Dizabulo adver-
„sus Persas pugnaturo proficiscitur. Quum in
„itinere constituti in aliquo loco Tal" (Ταλας cum
graeca terminatione ***) „deverterent, obviam fit
„Dizabulo Persarum legatus. Itaque Romanorum
„et Persarum legatos, apud se epulaturos, con-
„vocavit. Et cum adessent, Dizabulus Romano-
„rum legatos in majore honore habuit, ut etiam
„praecellentiore loco eos adcumbere jusserit. In-
„super plurimum incusabat Persas, quod ab iis
„injuria affectus sit, et hac de causa eos bello
„petiturus proficiscatur. Dizabulo vehementiorem
„in modum conquerente, Persarum legatus, post-
„habito, qui apud eos in conviviis observabatur,
„silentii more, propere coepit disserere, Dizabulo
„generose incusationes retundente; quare etiam,
„qui aderant, nimium ejus fervorem mirabantur,
„quod morem silentii pro nihilo ducens, copiosa
„aeque ac effreni lingva uteretur. Inter haec a
„sese divulsis, Dizabulus profectionem adversus

---

*) Nunc regio Chotlan ad septemtrionem Amu, olim Oxi fluvii sub 85° — 90° long. 37° — 38° lat. vel Khilan (variat enim lectio graeca χλιατῶν, χοαλιτῶν, χολιατῶν) ad meridiem ejusdem fluvii sita.

**) Kerchis, seu Kirgis populus hodieque ad septemtrionem Turkestani habitat, Turcisque imperat. Vide Dr. G. Hassel Dschagatai pag. 792. seqq.

***) Hodieque Tall oppidum in Afghanistana, in provincia Siwi, in valle ejusdem nominis situm est. Vide Dr. G. Hassel Afghanistan p. 758.

„Persas parabat, et comitibus Zemarchi accersi-„tis, amicitiâque, ut par erat, erga Romanos „confirmatâ,. Romanorum legatos, alio iis Tur-„corum legato, quia Maniach interea mortuus „erat, adsociato domum redituros dimisit. Vir, „qui a Dizabulo apud Romanos legati munere per-„functurus, missus erat, nomine *Tagma* (Τάγμα) „dignitate *Tarchan* (Ταρχὰν) vocabatur; cui Ma-„niachi, fatis functi, filius, vix adolescentiam egres-„sus, nihilo minus patris honores consecutus, et „secunda a *Tagma Tarchano* dignitate ornatus, „legationis socius adjunctus erat. Maniachus mi-„hi videtur Dizabulo familiarissimus fuisse, quod „filius ad paternos honores pervenerit. Zemar-„chus igitur cum sociis a Dizabulo dimissus, Ro-„manorum illos, qui dimissi fuerunt, in eo loco, „de quo inter sese convenerunt, assequitur; hac-„que ratione simul collecti ad sua proficisci con-„tendunt, et urbe principe Choliatorum relicta, „inter arces progrediuntur.

Romanorum e Turcia Constantinopolim reditum sic enarrat Menander. *)

„Pervulgata per Turciam fama apud eos po-„pulos, qui legatis Romanis proficiscentibus erant „vicini, Romanos cum Turcorum legatis Byzan-„tium" (Constantinopolim) „iter facere, dux il-„lius regionis populorum, Dizabulo supplex signi-„ficavit, ut et sibi liceret aliquos de sua gente ad „spectandam Romanam civitatem" (Constantinopolim) „mittere. Cui Dizabulus petitum indulsit. „Aliis vero populorum praefectis idem flagitanti-„bus, ex omnibus nulli, nisi Chliatarum duci so-„li, facultatem concessit. Itaque Romani et hoc

*) Menander in excerptis de legationibus p. 73.

„sibi adsociato, per fluvium, qui dicitur *Oich*, „(Ὠήχ) *) et non modica via confecta ad lacum „ingentem latumque pervenerunt.“

Oich est hodiernus fluvius *Gihon* seu Amu nomine, lacus ille nunc Aral vocatur. Utique longam viam confecerunt legati, Amu enim fluvius, olim Oxus, in Afghanistan ex Hindu-Kuh monte prorumpens, occasum borealem versus deflectens 200 milliaria emensus, brachiis Delta efficientibus Aral lacui appropinquat. Olim uno quoque brachio, quod nunc arena obrutum est, cum Caspio mari jungebatur. **) Quare Strabo et Claudius Ptolomaeus minime errant, ut clarissimus Mannert existimat, ***) Oxi undas cum mari Caspio jungentes. Nec rem tetigit cl. Mannert asserens, Aral lacum per Arabicos scriptores medii aevi primum innotuisse; videmus enim e superius dictis aetate Justini II. Romanis Orientalibus jam notum fuisse. †)

„Hic,“ (ad Aral lacum, continuat Menander ††) „Zemarchus tribus diebus moratus, Ge„orgium, qui legati munere inferioris gradus per„fungebatur †††) eorum a Turcis reditum Im„peratori“ (Justino II.) „praesignificaturum mittit.

---

*) Ponderosum hunc locum de Oich fluvio versio latina penitus omittit.

**) Vide Dr. G. Hassel, Asia pag. 37.

***) Mannert Geographie der Griechen und Römer. Leipzig, 1820. Thl. IV. p. 420. 421. 430. 432.

†) De lacu Aral et Oxo fluvio conferri meretur, A. G. Kephalidis Historia Maris Caspii, cum praefatione A. H. L. Heeren. Göttingae 1814. 8vo pag. 187 — 222.

††) Menander in excerptis de legationibus p. 106.

†††) Ὥστε μετὰ τοὺς μεγάλους πρέσβεις στέλλεσθαι ἑτέρους ἥσσονας. Menander p. 106.

„Georgius igitur, una cum decem et duobus Tur-
„cis iter Byzantium ducens, auspicatus, viâ aquis
„omnino destitutâ, et penitus deserta, compen-
„diosiore tamen est progressus, *) Zemarchus
„vero per arenosam lacus" (Aral) „plagam dies
„duodecim praeteriens **) et loca aliqua imper-
„via ***) transgressus, venit ad fluenta *Ich* (τοῦ Ἰχ)
„fluvii †) inde ad fluvium *Daich* (Δάϊχ) ††) et per
„alios lacus ad *Attilam* (Ἀττίλαν) †††) fluvium.
„Inde ab Attila" (seu Volga) „fluvio venit Zemar-
„chus ad Uguros (ὡς Οὐγούρους), qui iis renuntia-

*) Ibat Georgius per desertum ab Aral lacu et mari Caspio conclusum, quod hodierni Geographi Turkmannorum isthmum adpellant. Licet plaga haec duobus lacubus sit vicina, aqua tamen destituitur, arboribus nudata, a nomadibus tantum frequentata et Europaeis parum nota est. Vide Dr. G. Hassel Dschagatai p. 847. seqq.

**) Zemarchus ibat per terram Kara Kalpakorum, qui plagam orientali Aral lacus littori adsitam, et arboribus destitutam cum pecudibus pervagantur. Vide Dr. G. Hassel Dschagatai p. 838.

***) Tamatan montes ad septemtrionem Aral lacus fastigatos.

†) *Ich* (Ἰχ) fluvius, hodie Emba seu *Jemba* dicitur, a septemtrione decurrens, marique Caspio se uniens, Russiam inter et Kirgisos limitem constituit.

††) Daich (Δάϊχ Ptolomaeo Δάϊξ, Constantino Porphyrogenneto Γεήχ) est hodiernus Jaik, jussu Catharinae II. Ural nomine insignitus. Fluvius hic in Ural monte sub 54° lat. ortus 280 milliaria emensus in mare Caspium se exonerat.

†††) Attila (Ἀττίλα Constantini Porphyrogenneti Ἀτήλ) est Volga. Desertum inter Volgam et Ural fluvios, lucubus salsis repletum, arboribus esse destitutum hodierni Geographi docent. Vide Dr. Hassel das russische Asien p. 447. seqq.

„runt, in frutetosis circa Cophenem“ (Kubanum) „locis 4,000 Persarum in insidiis posita exspecta„re, ut ipsos, dum eo advenerint, in suam po„testatem redigerent. Quare Ugurorum dux, ut „Dizabuli eousque potentiam conservaret, utres „aqua repletos Zemarchi sociis praebuit, ut per „plagam aquae expertem euntes, potum haberent. „Invenerunt etiam paludem, et stagnum hoc am„plum praetergressi, ad illas paludes pervenerunt, „quibus Cophen“ (Κωφὴν seu Kuban), „fluvius im„mixtus evanescit. Ex illo loco speculatores ex„ploraturos mittunt, an Persae reverâ in insidiis „collocati sint, qui pervestigatione instituta, se „neminem vidisse renuntiaverunt. Attamen cum „maximo metu in Alaniam pervenerunt, quia ma„jorem in modum Oromoschorum gentem time„bant.“

Cum Zemarchus cum sociis a Volga fluvio ad Hunnos Uguros, ab Uguris ad lacum amplum venisse perhibeatur, necesse est, ut Ugurorum sedes inter Volgam et Kumam fluvios inter 62° — 63° long. sitae fuerint. Uguri igitur septemtrionales Kumae (Kimász) fluvii plagas inhabitabant, seu regionem Volgam inter et Kumam fluvios sitam, in tractu Kumae boreali inter 61° 30′ long. et 44° 40′ lat. ubi hodieque puteus Chani Schokrak visitur, e quo forte Zemarchi sociis Ugurorum dux aquam propinaverat; plaga enim Kubanum versus, qua Zemarcho eundum erat, macra, sicca, salsa, bonaque aqua destituta est. *) A puteo hoc venerunt ad lacum, certe ad illum, ad quem hodieque rudera *Madshar* visuntur, inde ad paludes, quas Kuban fluvius ef-

---

*) Vide Dr. G. Hassel das russische Asien p. 469.

ficit. Uguri hi erant populus Hunnorum Závár (Σαβὴρ). Nam Avari, narrante Menandro, *) patria extorres, dum ad Alanos venirent, Sarosii Alanorum ducis operâ Romanorum socii fieri exoptarunt. Justinianus I. (imperavit 527 — 566.) Imperio Romano utile fore existimans, si Avari adversus populos e Caucasiis montibus, Romanas ditiones infestare solitos, concitati mutua strage attererentur, donis eosdem eo permovit, ut populos Caucasios bello impeterent. Avari donis Justiniani amplis delectati Hunnos Uguros (Ουιγούρους male pro Οὐγούρους) et Zalos (Ζάλους) bello lacessiverunt, et universim Hunnos Závár (Σαβήρους) domuere. **) Locus hic Menandri classicus, duos Hunnorum Závár populos commemorat; Zalos et Uguros. Uguri ut vidimus habitabant ad Kumam fluvium, ubi Hungarorum avos habitasse supra demonstravimus. Inde Hungari a Russis Ugor compellantur, inde etiam montes Caucasii testante Nestore, nomine Ugorskyja gory apud Russos veniebant. ***)

Et ex hoc quoque triumphat fides historica anonymi Belae regis notarii, adversus viros, qui

*) Menander in excerptis de legationibus pag. 67.

**) An Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény fasc. II. 1825. adhuc dubitabit Hunnos Závár Hungarorum avos esse, et Hungaros olim Kumam accoluisse. Juvat verba ipsa Menandri excitare: Αβαροι πρῶτον μὲν ἐξεπολεμήθεσαν Ουγούροις, εἶτα Ζάλοις, οὐννικῷ φύλῳ· καὶ Σαβήρους δὲ καθεῖλον. Καὶ — δὲ iunversim significare docet inter caeteros locus Xenophontis Cyropaediae I. 1. 2. qui sic habet: ἔτι δὲ καὶ οἱ βουκόλοι τῶν βοῶν, καὶ οἱ ἱπποφορβοὶ τῶν ἵππων, καὶ πάντες δὲ οἱ καλούμενοι νομεῖς. Idem demonstrat locus Theophylacti Simocattae VII. 8. Οἱ Ταρνιὰχ καὶ οἱ Κοτζαγηροι, καὶ οὗτοι δὲ τῶν Οὐὰρ καὶ χουννὶ.

***) Kavkasijskyja gory, reksze Ugor'skyja; Nestor c. II. ex editione Schlözeriana.

cum narrantem non intelligerent, eum pro fabulatore proclamarunt, Uguri videlicet sunt iidem, qui Ugek Úré, seu Ug Úré, i. e. quorum Dominus Ugek est. Nomina propria in cujuscunque gentis ore breviora reddi solere in vulgus notum est. Nec obstat Almi patrem Ugek nomine insignitum, Uguros vero jam aetate Justiniani I. ergo trecentis fere annis ante, jam hoc nomine notos fuisse. Annon potuit atavus aeque ac pater Almi Ugek nomen habere?

Ab Uguris Zemarchus cum comitibus ad Alanos pervenit. Scimus, e superius dictis, Alanos Hunnis Závár conterminos, eorumque sedes usque ad portas Caspias porrectas fuisse. Itaque Uguri quoque in vicinia Alanorum habitabant.

Cum igitur Constantinus Porphyrogennetus dicat, Hungarorum avos non dictos fuisse olim Turcos, sed Závár (Σαβαρ) cognomen habuisse, eos inter gentem illam amplissimam Hunn Závár comprehensos fuisse indigitat. Jam Uguros, seu complete Hunnuguros, in vicinia Hunn Závárorum habitasse, ad eosque spectasse vidimus. Inde factum est, ut hodieque apud Russos Hungari *Ugor*, apud anonymum Belae regis Notarium *Hunugari*, apud Byzantinos antiquos *Hunnuguri* et apud tardiores *Hungri* seu *Ungri* vocentur. Et utriusque denominationis exempla occurrunt apud scriptores probatos. Sic apud Menandrum *) simpliciter vocantur *Uguri*, (Οὔγουροι) sed tamen adjicitur *Hunnica gens* (Οὐννικὸν φῦλον) et ita simpliciter quoque a Russis *Ugor* vocantur. Apud Theophylactum **) complete *Hunnuguri* (Οὐννουγουροι)

*) Menander in excerptis de legationibus pag. 67.

**) Theophylactus Lib. VII. cap. 8.

nominantur, unde nostrum *Hungari* enatum est. Jornandes *) eosdem *Hunugaros* vocat, scribens: „Hunugari autem hinc sunt noti: quia ab ipsis „pellium murinarum venit commercium.“

Siste viator Hungare, contemplare urbis ab Hunnuguris, patribus tuis olim conditae veneranda rudera, quam Imperii Justiniani anno decimo septimo, salutes 554, mensis Augusti 27ma, seu ante 1271. annos per orbem furens terrae motus diruit, hiantesque telluris fauces fere totam deglutiverunt. Theophanes et Cedrenus **) inquiunt „Ingens fuit hic terrae motus, adeo, ut mul„tae domus et templa et balnea, imprimis muri „aureae portae Constantinopoli corruerint, homi„num multi interiverint. Terrae motus hic per „universum terrarnm orbem grassabatur, ut tota „fere habitata terra expavesceret, mare (nigrum) „ad duo milliaria concuteretur, et multa navigia „in aquis intumescentibus perirent. In Arabia, „Palaestina, Mesopotamiaque urbes multae, et „pagi sunt prostrati: obruta brutorum et homi„num multitudo. Nicomediae quoque magna pars „corruit. Dies quadraginta motus iste duravit. „Quotannis ejus memoria celebratur, populo in „campo ***) supplicante. Anno sequenti seu 555.

*) Jornandes de rebus Geticis p. 87.

**) Theophanes Chronogr. p. 156. seq. Cedrenus p. 303. seqq.

***) In campo videlicet illo, in quo Constantinopolitani, durante hoc terrae motu sub tentoriis habitabant. Vid. Cangii Constantinopolim Christianam Lib. II. p. 140. Supplicatio fiebat die 25. Septembris.

„et tribus post annis seu 558. funestus iste terrae „motus est repetitus.“ *)

Hunnugurorum (Hungarorum) urbi, quae terrae motibus corruerat, nomen fuit *Vak-ágy* (Βακάθ Hungaricum gy per Θ exprimere conatus est, Theophylactus.) *Vak-ágy* i. e. coecum seu incrustatum cubile (ein blindes, übertünchtes, gemauertes Lager) ideo probabiliter vocabatur, quod mansiones ejusmodi muris incrustatis constant, mansiones vero in tentoriis, quibus passim populi Caucasii utebantur, hodieque utuntur, incrustatione careant. Hinc hodieque Hungaris *Vakoló* incrustator, *vakolás* incrustatio, tectorium dicitur. Urbs haec, cujus nonnisi rudera supersunt, ad lacum Cumae fluvii, quem Hunnuguri accolebant, sita, antiquum hodieque nomen, sed e lingva Hunnugurorum in Tataricam translatum, retinet. *Madshar* enim, quo nomine urbis *Vakágy* rudera nunc veniunt, in lingva antiqua *Tatarorum „aedes lapideas“* designat, et *Nogayis* aeque ac *Turcmenis*, in vicinia habitantibus, rudera haec *Chirk Madshar* i. e. *quadraginta* (idem ac *sexcentae, plurimae,*) aedes lapideae dicuntur. **) *Aedes lapideas* (Madshar) et *incrustatum habitaculum* (Vakágy) idem esse, nemo non videt. Urbem Madshar nomine insignitam ante Hungarorum egressum

---

*) Cfr. de hoc terrae motu quoque Jobum Monachum apud Photium Cod. 222. Theodorum Lectorem in Eclog. Hist. Eccles. Lib. I. n. 6. et Stephani Morcellii Calendarium Albanianum Tom. 1. p. 164. seqq.

**) Vide Julii von Klaproth Reise in den Kaucasus und nach Georgien, unternommen in den Jahren 1807 — 1808. Halle und Berlin 1812. 1ter Theil. p. 421.

his in plagis fuisse, eamque a Magyaris, vel Magyaros a Madshar nomen accepisse, ut nonnulli scriptores, nominum horum similitudine in errorem pellecti, temere crediderunt; testimoniis historicis penitus adversatur. Scriptores enim illi orientales paucissimi, qui urbis Madshar meminerunt, uti Abulghasi Bahadur Chan in Historia Tatarorum (ad annum Chr. 1266 — 1282.) et Abulfeda in Geographia, serioris aetatis sunt *) ita ut putandum sit, urbem Vak-ágy ab Hunnuguris aedificatam, saeculo med. VI. terrae motibus dirutam, ab Hungarorum patribus nequaquam instauratam, sed illis e terra natali saeculo IX. egressis, territorioque ipsorum a variis gentibus occupato, ruderibus urbis Vakágy a Tataris novam urbem Madshar superstructam, eamque juxta relationem historicorum orientalium, in bellis intestinis, quibus Capdshakidarum regnum ad finem vergente saeculo p. C. n. XIV. dilacerabatur, rursus eversam fuisse. Deinde licet una septem stirpium Hungaricarum, quae Atelkuzu relicta in Bessarabiam et Moldaviam transmigraverunt, Magyar vocabatur; tamen nomen hoc primum post Arpadi electionem, et omnium sub uno capite unionem cunctae genti tribui incipiebat. **) Si vero

*) Vide Klaproth op. cit. p. 429. — 434. Locus a celeberrimo Klaproth ex Mohammedis Awabi Akraschi Historia urbis Derbend (ad saec. II. Hedshirae, Christi VIII.) prolatus, nihil probat; nam scriptor hic longe recentior; magis e traditionibus popularibus, quam e fide dignis monumentis historicis hausisse videtur, ac adeo dubitanter pronuntiat, ut unico scriptori Tataro, in re tam antiqua et omnium historicorum altissimo silentio nulla plane fides adhibenda sit.

**) Vide Dankovszky Hungarae gentis avitum cognomen etc. p. 20

Abulfeda scriptor saeculi XIV. Hungaros *Magyarorum* nomine insignit, non ideo, ut cl. Pray vult, saec. IV. jam *Magyari* vocabantur. Neque verum est, Hunnuguris Hungarorum avis commune Magyarorum nomen jam saec. V. imo prius fuisse, ut nuper Anonymus quidam, provocans ad Mosis Armenii auctoritatem asseruit. *) Nam *Mazari* (apud Theophanem Μάζαροι, apud Theophylactum Μάτζαροι scribuntur) **) diversissimus populus ab Hunnuguris, Hungarorum avis fuit. Arx enim *Mazarorum* sita erat in antiqua *Media* seu hodierna Persiae provincia *Aserbeidschan*, ubi hodieque *Masaruhd*, in meridionali Araxis, nunc Aras fluvii plaga, 60 familias et ferri fodinas complectens, conspicitur. ***) De antiqua Mazarorum arce narrat Theophylactus et Theophanes in locis citatis, eam aetate Mauricii Imperatoris in bello adversus Persas, a Theodoro Romano belli duce, anno salutis 579. captam fuisse. Hungari igitur Magyarorum nomine tunc minime veniebant.

Ad urbis Vak-ágy, nunc Madshar, rudera redeo, quorum brevem e fidedignis itinerantium relationibus descriptionem, Hungaro lectori non ingratam fore putamus.

Non procul a pago Borgon Madshar seu Kawkaskoi Uszwiaet, in sinistro Cumae et dextro Bywallae fluvii littore sito, vestigia antiquorum aedificiorum conspiciuntur, quae cum itineranti-

---

*) In Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. VI. p. 49. in nota.

**) Theophanes Chronogr. p. 174. Theophylactus Lib. II. c. 18.

***) Vide Dr. G. Hassel, Asia, Iran p. 69.

bus, ex Astrachan venientibus, primum se offerant, Madshar superius seu primum audiunt. Trium duntaxat aedificiorum, quorum fundamenta trianguli formam referunt, hoc in loco rudera supersunt. Non procul hinc Madshar Medium seu Sserednoi Madshari situm, ubi in ambitu 5 milliarium Russicorum splendidae olim urbis rudera visuntur. Urbem forma quadrata exstructam, fossis et vallatis munitam, imo quoque singulas domos vallo circumdatas fuisse adparet. Rudera haec in dies magis magisque temporum vicinorumque populorum injuriâ corruunt. Rimae et hiatus ingentes, quibus urbs diffinditur, nequaquam fossae ad muniendam urbem, sed frequentium terrae motuum indubia documenta sunt. Id praeterea observo, urbem Vakágy ab Hungaris olim conditam, saec. med. VI. cum terrae motibus interiisset, teste Theophylacto scriptore coaevo jam antiquam fuisse. *) Si autem saec. med. VI. Vakágy urbs ab Hunnuguris, Hungarorum patribus, condita jam antiqua dicebatur, necesse est Hunnuguros ad Kumam fluvium, vetustissima aetate sedes habuisse. Recte igitur Constantinus Porphyrogennetus ait, sedes *Hunn Závárvorum*, ad quos *Hunnugvri* spectabant, olim ad Kumam fluvium fuisse. Praeterea gens, quae urbem condit, urbemque inhabitat, majorem culturae gradum attigisse merito putanda est.

„Quum Zemarchus cum sociis" continuat Menander suam narrationem „in Alaniam ad Saro- „dium Alanorum ducem venisset, et una cum co-

---

*) Τὴν δὲ Βακὰθ ὑπὸ τῶν Οὐννουγουρῶν πάλαι ποτὲ πολισθεῖσαν, καταπεσεῖν τοῖς σεισμοῖς. Theophylactus VII. 8.

„mitantibus Turcis ingredi voluisset, Sarodius Ze-„marchum ejusque socios lubenti animo susce-„pit, legatis vero Turcorum nonnisi armis de-„positis, viam ad sese patere significavit; qua de „re per triduum inter eos est disputatum, Zemar-„cho arbitrum agente. Tandem Turci armis de-„positis, ut Sarodio videbatur, eum adiverunt. „Sarodius deinde Zemarchum de via admonuit, „ne per Mindimianorum tramitem proficisceretur, „ideo quod in Suania Persae in insidiis collocati „essent: praestare igitur, ut per sic dictum Dari-„num tramitem domum discedat. Quibus intel-„lectis Zemarchus per Mindimianum tramitem de-„cem bajulatores, sericum portantes, misit, ut „Persae iis obviam facti, ex praemisso serico et „itinere anteverso suspicarentur, postero die Ze-„marchum adfuturum. Bajulatores igitur abive-„runt. Zemarchus vero Mindimiano tramite, ubi „Persae in eum invasuri putabantur, ad sinistram „relicto, viâ Darinâ in Apsiliam venit, hinc Ro-„gatorium, et deinde per mare nigrum navigando, „ad Phasim fluvium, porro Trapezuntem, et in-„de publicis equis vectus Byzantium ad Impera-„torem, cui omnia exposuit. Hic fuit finis pro-„fectionis Zemarchi."

Hactenus Menander. Hujus Turcorum ad Justinum II. legationis meminit quoque Theophanes *) inquiens: „Inter alias causas etiam haec „Chosroëm Persarum regem terrefecit; Hunni „enim, quos Turcos vocare solemus, per Ala-„norum regionem ad Justinum legati veniunt. „Chosroës ob amicitiam Romanos inter et Tur-„cos conciliandam metu correptus, mox hostilem

*) Theophanus Chronograph. p. 165.

„animum prodit, et ut ansam ad bellum Roma-„nis inferendum inveniat, Armeniorum defectio-„nem praetexendo, profugos a Justino repetit. „Justinus novae Turcorum amicitiae confisus, „quingentas auri libras pro custodiendis in Cau-„casiis montibus castellis, ne populi in ditionem „Romanam et Persicam incursare possent, Persis „ultro quoque pendere denegat. Hinc Persae tra-„mitem Caucasium in Suania adversus irruptiones „Hunnorum antea tutantes, nunc legatos Roma-„nos e Turcia domum redeuntes adgressuri erant, „et Justinus, Martinum Patricium cognatum su-„um, militiae magistrum renunciatum, adversus „Persas mittit. Persae, vastatis Antiochiae sub-„urbiis et Syria expilata, roganti Justino, indu-„cias ad unum annum concedunt."

Ut sententiam nostram, Hungaros a Turcis illis, qui ad orientem maris Caspii habitabant, non esse oriundos, demonstremus, ulteriora historiae Turcicae consideranda sunt.

Justino II. successit Tiberius, cujus imperii anno secundo, seu 579. a Chr. n. sequentia annales Graeci de Turcis referunt. *)

„Secundo Tiberii Caesaris anno legatio a Ro-„manis ad Turcos denuo missa est, Valentino „praetorianorum uno ad id munus obeundum „denominato, qui negotio sibi demandato, cum „suis comitibus et cum 106 Turcis itineri se ad-„cinxit. Tunc enim Turci, tempore alio alii a sua „gente emissi, Byzantii jam dudum hospitabantur. „Nam eorum alios secum adduxerat Anancasta „(Αναγκάστης) legati munere apud Turcos perfun-

*) Vide Menandrum in excerptis de legationibus p. 108. seqq.

„ctus, alii cum Eutychio ad urbem imperatoriam „se contulerant, alii iterum Valentino e prima „legatione redeunti sese adjunxerant, et tunc By- „zantii commorabantur, (bis enim Valentinus le- „gatus ad Turcos fuerat,) alii denique cum Hero- „diano, alii cum Paulo Cilice venerant, ita ut „universim e gente Turcorum sex et centum viri „Byzantii convenirent. Quibus cunctis sibi adso- „ciatis Valentinus ex urbe Imperatoria movit, et „navibus celeribus conscensis, inter Sinopem et „Chersonem, quae Sinope e regione est sita, per „mare nigrum ferebantur. *) A mari Apaturas **) „venimus, et inter gentes, per arenosam plagam, „quam montes Taurici praecingunt, procedeba- „mus. †) Itaque illam a palustribus aquis cinctam „planitiem Valentini comites equis vecti transive- „runt, et alias arundinosas, fruticosas et aquosas „plagas permearunt. ††) Porro iverunt etiam per

*) Sinope nunc quoque Sinub vocatur sub 42° 2′ 17″ lat. et 52° 28′ long. in meridionali maris nigri littore sita, Osmanici est imperii. Cherson, nunc Korssun seu Kurschi, in meridionali ad occasum vergente plaga hodiernae Crimeae sita, Russici est dominii. Vide Gr. Dankowszky's Fragmente zur Geschichte der Vöker ungarischer und slawischer Zunge. 1tes Heft. S. 45.

**) Veneris templum ad mare Asovicum et Kuban fluvium situm.

†) Arenosa plaga, quam montes Taurici i. e. Caucasii praecingunt, est planities septemtrionali Caucasi lateri adsita, hodie ad Kuban fluvium desertum Kubanum, ad Kumam fluvium desertum Kumanum dicta, olim sedes Hungarorum, nunc Russico Imperio adscripta.

††) Ita hodierni quoque Geographi hanc regionem, inter mare Asovicum et Caspium, quam Manitsch fluvius permeat, describunt. Vide Dr. G. Hassel das russische Asien p. 468 — 488.

„ditionem foeminae Ok-ága (Ἀκκάγα) nomine, quae „Scythis, illius regionis incolis, dominabatur, do- „minio ei tunc ab Anya-gaj (Ἀναγαΐ) tradito, qui „populo Végtég-Úré (Οὐιττιγουροι) dicto, impera- „bat."

Ok-ága, i. e. rationis surculus, esse vocem Hungaricam, quivis hujus lingvae gnarus videt, Egregium nomen foeminae principis, et praeclarum documentum, quanti rationem Hungarorum avi fecerint, ut foeminas quoque prudentia excellentes, rationis filias, seu surculos, vocaverint. Anya-gaj i. e. Matris laetitia. (Utinam omnes filii hoc nomine digni essent!) Végtég-Úré autem est ille populus, qui domino, cujus territorium extremum seu finale est, paret, et cum Valentinus Kubano et Kumano deserto emenso ad Végtég-Úré populum pervenisse perhibeatur, necesse est, ut territorium Hunnorum ex illa parte usque ad mare Caspium et Volgam fluvium pertinuerit, et cum Zemarchus, legatus e Turcia redux, a Volga meridiem versus ad Caucasum progressus ad Hunnos Ug-úré nomine pervenerit, ut supra vidimus, Ug-Úré certe ad meridiem populi Végtég-Úré habitabant. Ceterum Végtég bene dicitur pro végig, ad analogiam vocabuli végtére.

„Et ut cuncta edisseram" pergit Menander „cum multis tramitibus locisque impeditis luctati, „tandem eo adpulerunt, ubi Turxanthi bellica si- „gna forte aderant. Hic vero unus ducum apud „Turcos est. Universa enim ibi in octo partes „distributa fuere, quibus Turcorum genti prae- „esse obtigit. Arsilas (Ἀρσίλας) vero nomen ve- „tustiori monarcho (μονάρχῳ) Turcorum fuit. „Valentinus, quum coram Turxantho, qui „ante reliquos duces, illuc venientibus erat ob- „vius, venisset, Caesari Romanorum congratu-

„landum esse dixit, eo enim fine illuc missus „erat Valentinus, ut Tiberio in imperium Caesa- „rum jam evecto; Turcorum genti praefectos „(τοὺς προεστῶτας τοῦ φύλου τῶν Τούρκων) salutaret, et „una nuntiaret, benevolentiae studium et foedera „Romanos inter et Turcos jam ante inita, quae „Dazibulus“ (male Δελζίβουλος pro Διζάβουλος) „et „Justinus Imperator, Zemarcho legato primo il- „luc misso, pepigerant, non minus firmiori lo- „co stare; quandoquidem Dizabulus, utpote Ro- „manorum amicus, eosdem se, quos Justinus, „amicitia complexurum et hostiliter persequutu- „rum esse, et ut haec pacta inviolabilia incon- „cussaque manerent, declaravit. Quibus pactis „innixus Valentinus, quandoquidem tunc Romani „Persas bello appetebant, allocutione finita, de- „cens esse, ait, ut et ipse opportuno tempore in „Persas invadat. Quibus enuntiatis, mox Turxan- „thus: Annon vos, inquit, amabiles illi Romani „(οὗτοι ἐκεῖνοι Ρομαῖοι) estis, qui decem lingvis et una „fraude utimini? — Simul his dictis os suum de- „cem digitis obturavit; ac dein iterum ait: Quem- „admodum nunc ori meo decem digiti sunt ap- „pliciti; ita quoque vos Romani pluribus lingvis „utimini, et hac via me, alia iterum eos, qui mea „mancipia sunt, decipitis; ac ut rem simpliciter „breviterque dicam, omnibus gentibus, verborum „varietate et mentis fraudulentia illudentes et sub- „blandientes, eos damno, tanquam in caput prae- „cipitatas, centemnitis, vobisque ipsis utilitatem „procuratis. At vero etiam vos legati mendacium „induti, ad me accessistis; et, qui vos miserat, „haud minus fraudulentus est. Et vos extemplo neci „tradam, nec moram traham; mendacium enim est „res viro Turco peregrina et a moribus gentis ab- „horrens. Imperator vester justas mihi poenas

„dabit, qui mihi amicitiae consentanea verba fa-„cit, postquam cum Uarchonitis (Ουαρχωνίταις) no-„stris servis, (Avaros intelligebat) qui suis do-„minis profugerant, amicitiae foedus inivit. *) „Uarchonitae, ut Turcis subjecti, dum volo, mi-„hi se adjungent, et si equitatum meum, flagel-„lum adversus eos emissum, conspicient, ad ter-„rae infima fugient. Sin vero vultu in nos con-„verso obsistent, ut par est, non ensibus truci-„dabuntur, sed equorum nostrorum ungulis con-„culcabuntur, et ad formicarum modum interi-„bunt. Itaque ex parte Uarchonitarum res no-„stra salva est. Vos vero, o Romani, quare nam „meos legatos per Caucasum Byzantium ducitis, „mihi dicentes, non esse aliam viam, qua pro-„ficisci possent? — Haec, ut vobis dicam, ideo „instituitis, ut invasio in Romanas ditiones videa-„tur esse impedita. At ego scio quam accuratis-„sime, ubi Danapris (Dnepr) et ubi Ister, He-„brusque **) fluant, et ex quo loco Uarchonitae „nostri servi in Romaicam ***) trajecerint. Non „ignoro vestram potentiam. Mihi enim subjecta „est omnis terra, incipiens a primis radiis solis, „et desinens in ultimos vesperae fines. Intuemini, „o miseri, in populos Alanicos et in gentes quo-„que Unigurorum, (τὰ φῦλα τῶν Οὐνιγούρων) qui lon-„ge audacissimi, domesticaeque potentiae confisi, „invictae Turcorum genti se opposuere, spe vero

*) De Uarchonitis, qui Avarorum nomen sibi ementiti erant, plura inferius.

**) Hebrus nunc Maritza in Rumili, seu antiqua Thracia.

***) Romaica, sic vocabatur hodiernum Rum-Ili, seu regio inter Danubium et Propontidem, seu Mare di Marmora.

„sua exciderunt. Hac ratione evenit, ut et no„bis pareant, et ad servorum sortem redacti sint. „Tanta igitur Turxanthus jactabat, vir enim gran„diloquus et ostentatione gaudens erat. Valenti„nus vero audita sententia sic dixit: Nisi caedes, „o Turcorum dux, a te nobis inferenda et ma„ledictio idcirca per omnium hominum ora voli„tans, esset res gravissima et omni mortis genere „perniciosior; et nisi facinus nunquam antea com„missum, a te perpetrandum facto testimonium „praebiturum esset, abs te legatos occisos fuisse, „quod vel auditu horribile, factu horribilius est: „optarem tuo ense hodie postremum diem vide„re, et quod imperatorem meum mendaciis gau„dere, et ejus legatos aeque mendaces abs te di„ci audiverim. Quare te obtestamur, velis pla„cidiorem vultum nobis exhibere, ab ira remitte„re, vehementiam humanitate emollire, et legi, „quae sacrosanctos legatos esse constituit, cede„re. Pacis enim confectores sumus, et rerum „sanctarum pactores constituimur. Alioquin te „decet paternae terrae et fortunae haeredem, pa„ternos quoque excipere amicos, et quodammo„do existimare, eos quoque paternam esse posses„sionem. Quandoquidem Dizabulus pater tuus „nostrae civitati sponte sua se applicans, Roma„norum potius, quam Persarum amicus esse vo„luit. Itaque res nostrae inviolatae et inconcus„sae ad hunc usque diem nobis persstiterunt. Et „sane, nos in eadem erga vos benevolentia per„severamus, neque secus vestra erga nos ami„citia firmo loco ponetur. Sincera enim et a „decentia non aliena mentis erga alium manife„statio, non occulta animi declaratione ingrate re„ciprocabitur. Valentino hoc modo locuto Tur„xanthus: Opus est, ait, o Romani, ut, dum huc

„appulsi, me in summo luctu constitutum, (Diza-
„bulus enim pater meus modo mortuus est,) de-
„prehenditis, facies vestras gladiis dilaceretis, le-
„gique, quae apud nos in justis mortuorum per-
„agendis viget, obtemperetis. Protinus Valenti-
„nus et quotquot eum comitati erant, ensibus
„suis genas dilaniarunt. Tunc uno lugubrium die-
„rum, quatuor captivos Hunnos vinculis constri-
„ctos et in medium adductos barbara lingva jus-
„sit, una cum patris equis neci mandatos, Diza-
„bulo patri renunciare, quo loco res suae sta-
„rent. Justa mortuis persolvi solita *dochia* (δοχια)
„domestica lingva vocant. Justis funebribus in
„sepeliendo patre persolutis, Turxanthus alia
„quam plurima cum Valentino locutus est, eum-
„que ad interiores, quibus Turcorum duces prae-
„erant, ditiones dimisit, imo etiam ad consangvi-
„neum suum, nomine Tardu (Τάρδου) qui in mon-
„te *Ektel* *) (Εκτελ) vitam degebat. Ektel vero
„idem est ac *aureus*. Valentino igitur ad Ektel
„montem abeunte, Turxanthus se mox Bosporum
„expugnaturum esse, minatus est. Itaque Tur-
„xanthus extemplo Bochanum, cum magno Tur-
„corum exercitu ad evertendam Bosporum misit;
„Anya-gajo jam cum altero Turcorum exercitu
„circa illa loca in castris agente (Ἀναγαίου ἤδε περὶ τὰ
„ἐκεῖσε στρατευομένου.) Dum urbs Bosporus cape-
„retur, Romanorum legati adhuc apud Turcos
„erant; et exinde palam factum est, Turcos in
„Romanos hostili duci animo. Ideo etiam legatos,
„inter quos Valentinus erat, Turxanthus deti-
„nuit, et injuriis, ludibriis, reliquisque calami-
„tatibus vexatos, tandem dimisit."

---

*) Nunc Altai, seu aureus mons, Goldberg.

Ex his fide dignis scriptorum coaevorum testimoniis, Gordius ille nodus, quando, et quomodo Hungarorum majores Turcorum nomen adepti sint, (nam Constantino Porphyrogenneto teste non semper Turci vocabantur,) facili negotio dissolvitur.

Turci commercio serici promovendo et potentiae adversus Persas hostes suos augendae studentes, Justini II. anno quarto, salutis 570 cum aula Constantinopolitana amicitiam ineunt, et frequentibus legatis illuc missis, plagas cis mare Caspium et nigrum sitas, notas sibi reddunt. Et ita factum est, ut Turci, antea Romanis ignoti, nunc opulentiae, debilitatis, fraudulentiaeque Romanae gnari redditi, pedem ad Romanorum ditionem proferre incoeperint. Ast ex una parte Persicum imperium, et ex altera Hunnicae gentes propugnaculi instar obstabant, quo minus in terras Romanis subjectas Turci penetrare possent. Per Persarum sibi inimicorum terram Romanos lacessere Turci aversati et prohibiti, per Hunnos supra Caucasios montes habitantes, aut bello reprimendos aut foedere sibi jungendos, in Romanam ditionem invadere maluerunt. Quare Alanicis populis, Caucasi accolis, et Uniguris domitis, amicitiaque cum Anya-gaj, qui inter Hunnorum terras extrema ditione potiebatur, ideoque Végtég-Úr vocabatur, inita, ejusque militiae copiis Turcicis adjunctis, Turxanthus Bochanum cum magno Turcorum exercitu ad Bosporum capiendam mittit. Capta est Bosporus, urbs Romani imperii in hodierna Crimea ad Bosporum Cimmerium sita, nunc Kertsch dicta, secundo Tiberii imperatoris, salutis 579. anno, a quo tempore Turci jam amici, jam hostes Romanorum exstitere.

Turcos primum Tiberii Imperatoris aetate anno 579. in plagis mari Asovico adsitis, per suos exercitus et Hunnos foederatos agere conspicimus; ast ducentis fere annis ante jam Chazaros circa mare Asovicum pedem fixisse, e Theophane et Nicephoro Constantinopolitano intelligimus. *) Quorum testium narrationem, quam hactenus nullus historicorum recentiorum recte intellexit, hoc loco in lucem ponere oportet:

„Dicendum jam est" ait Nicephorus „de ejus „gentis, quae Hunnorum et Bulgarorum nomine „venit, primordiis et situ. Circa Maeotim paludem" (mare Asovicum) „juxta Kuban fluvium (κατὰ τὸν Κώ„φινα ποταμὸν) sita est regio, qnae olim *magna Bul„garia* vocabatur. Heic quoque habitant *Kotragi* „(Κοτραγοι) ejusdem cum illis generis. Aetate ve„ro Constantini, qui in occidente e vita cessit, „Curatus" (Κουράτος, apud Theophanem Κροβάτος dicitur) „quidam nomine, harum gentium domi„nus, fatis functus, quinque filios relinquit, de qui„bus testamento disposuit, ne a se invicem sepa„rarentur, quo imperium communi concordia con„servarent. At hi paterna admonitione parvi fa„cta, paulo post propria gentis parte sibi segre„gata, dissociati sunt. Primus eorum Baján" (Βαϊᾶν, Theophanes habet Bat-Baján, Βατβαϊᾶν) „nomine, praecepti paterni memor, in avita ter„ra usque hodiernum diem" (circa annum 818) „permansit. Secundus Kotrág (Κοτράγος) nomine „Tanaim (Don) fluvium transgressus, e regio„ne fratris habitavit. Quartus Istro fluvio trajecto, in Pannonia, nunc Avaris subjecta, genti in-

---

*) Vide Theophanis Chronograph. pag. 236. seqq. et Nicephorum Constantinopolitanum pag. 18.

„digenae fide data, excubabat. Quintus ad Ra-„vennesiam Pentapolim sede posita, Romano-„rum tributarius factus est. Denique tertius ho-„rum fratrum Asparuch nomine, Danaprim et Da-„nastrim (Dnepr et Dnestr) fluvios transgressus, „circa Istrum incolebat locum, habitationi ido-„neum, qui Oglon eorum lingva vocabatur, et „qui accessu difficilis et hostibus inexpugnabilis, „tutusque est; anteriore quippe sui parte imper-„vius et paludibus munitus, posteriore vero situ „praecipitiis inaccessis tamquam muris vallatus. „Tali igitur modo gente divisa et dispersa, Cha-„zarorum natio ab interiore Beryliae plaga, utpo-„te Sarmatiae vicina, impune incursiones facie-„bat, et omnia ultra Pontum Euxinum (mare ni-„grum) loca percurrit, mareque trajecit; postca „Bajánum" (Βασιανὸν male pro Βαϊανὸν) „quoque in „suam potestatem redactum, tributarium fecit."

Jam expendamus Nicephori narrationem. *Bulgari*, qui teste Constantino Porphyrogenneto et Nicephoro *) prius *Hunno-Gunduri* (Οὐννογουνδουροι **) vocabantur, erant genere Hunni, quemadmodum nomen ipsum *Hunnogund-Uré* hoc demonstraret, etiamsi Nicephorus id reticuisset. *Kotor-ág*, quod Graecus mutam litteram penes liquidam ponere amans, in *Kotrág* (Κοτράγ) concontraxit, est stirps fodiendo dedita, populus itidem Hunnicus, et ejusdem cum Bulgaris generis. Sedes avitae Bulgarorum et Kotragorum erant

*) Vide Constantinum Porphyrogennetum de thematibus p. 16. et Nicephorum p. 13.

**) Οὐννογουνδουρει apud Nicephorum, et sic Constantini Ονογουνδουροι et Theophanis p. 236. Οὐννοβουνδοβουλγαροι emendari debet.

ad Maeotim Paludem (mare Asovicum) juxta Kubàn fluvium, ibique sic dicta *Magna Bulgaria.* Itaque errant ii, qui Bulgaros a Volga fluvio nomen accepisse existimant, aut eos a Tataris in regno Kasano dominantibus deducunt. Bulgaros hodiernos slavica dialecto uti, inde explicatur, quod ab initio saec. V. Slavis immixti persistant; attamen multa vocabula e sua primaeva lingva dialecto slavicae immixta habent. Hunni Bulgari et Kotrági, circa aetatem Constantini, qui in occidente mortuus est, sedes avitas ad Maeotim paludem deseruisse perhibentur. Constantinus vero ille est, qui Gratiano occiso, e gregario milite ad Imperatoriam dignitatem evectus, Galliam sibi subjecit, dein post varias vicissitudines, contra datam fidem, ab Honorio occidentis Imperatore capite plexus est. Cum Bulgari testante Theophane *) Anastasii aetate, seu circa finem saeculi V. Illyricum et Thraciam, gens Romanis prius ignota, incursant, alius Constantinus a Nicephoro intelligi non potest. Constantinus vero hic circa initium saec. V. vixit.

Kotrág fratrum secundus in plagis intra Tanaim et Danaprim sitis cum suo populo consedit. „Ecce"! exclamabit Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. II. „Hungaros „circa Donetz fluvium considentes"! An recte, ulteriora eum edocebunt. Et ponamus Hunnos hos, qui initio saeculi V., regionem circa Donetz amnem occuparunt, esse Hungarorum majores; tamen hae eorum sedes non essent avitae„ ut Anonymus Recensens asserit. Quartus fratrum trajecto Danubio in Pannonia consedit, qua aetate

*) Vide Theophanis Chronographiam pag. 27.

Nicephori scribentis (initio saec. VIII.) Avari potiebantur. Quintus Italiam petiit, et sede in Agro Ravennensi posita Romanorum est factus tributarius. Post centum annos eos in iisdem Italiae plagis deprehendimus, sub Narsete adversus Francos in Italia bellante, stipendia merentes. Sic e. g. *Artaván* et *Uldák* (Ἀρταβάνης καὶ Ουλδάχης) *Hunni*, exercitui ex Hunnis et Romanis constante praefecti, Francos in Apulia praeda onustos reduces, ad Fanum urbem, in ora sinus Venetici, Anconam inter et Rimini sitam, ex insidiis adorti stragem edunt. *) Idem Artaván, Narsate imperium habente, cum suis in sylvam ad Capuam se retrahere jussus, ex improviso Vitalinum Francorum ducem aggreditur, omnesque una cum duce internecione delet. **) Hunni hi *Bé-törő* (Βίττορες) i. e. *irrumpentes* cognominabantur. Caesis a Narsete ad Capuam Francis, Gotthorum 5,000 a Romanis *Rág-nyári* (Ῥάγναρι) Hunno Bé-törő genere, eorum duce instigante, a Narsete desciscunt, et Campsis arce bene munita se includunt. Rág-nyári erat vir horrendus et versutus, dominandique cupidissimus. ***)

Tertius fratrum nomine *Asparuch* hodiernam Bessarabiam, Moldaviam et Valachiam Danubii paludibus et Transylvaniae montibus, adversus hostium invasiones tutus, inhabitavit. Is cum suo populo Bulgarorum hodiernorum sator est, cujus posteri post 270. annos Constantino Pogonato imperante, anno Christi 679. Moesiam occuparunt, Bulgariaeque nomen eidem indiderunt.

*) Vide Agathiam II. p. 27.

**) Agathias II. p. 31.

***) Agathias II. p. 35 — 36.

Denique primus, seu maximus natu frater *Baján*, seu ut etiam vocatur, *Batbaján* (Βατβαϊᾶν *)) paterni moniti memor in solo natali mansit. Ast quod pater sapiens praemetuerat, id revera evenit. Chazari, gens magna, e plagis Sarmatiae vicinis, ergo e regione trans Volgam sita, egressi, omnia ultra mare nigrum loca percurrebant, et Bat-bajáno tributario sibi facto, saeculo adhuc IX. vectigal ab ejus successoribus percipiebant. **) Chazari igitur jam initio saeculi V. ad mare Asovicum et Kuban fluvium pedem fixerant; Justiniani II. aetate, seu initio saec. VIII. *Phanagoriam* urbem, Strabone teste ***) ad Bosporum Cimmericum, ubi fretum hoc est angustissimum, e regione *Panticapaei* (nunc *Kertsch*) sitam, tenebant, †) a Theophilo imperatore, initio saec. IX. ad Tanaim fluvium castellum nomine Sarkel sibi extruendum curarunt, et adhuc aetate Constantini Porphyrogenneti, seu circa med. saec. X. easdem sedes, circa Tanaim et Paludem Maeotim ad Kubanum fluvium habent. ††) Idem refert Nestor de Chazaris et Bulgaris ajens: „Slá„vica lingva, ut dixi, ad Danubium vigente, ve„nerunt inde a Scythis, qui Kazari vocantur, sic

*) Batthyán esse nomen contractum et Batbaján facile concesserim.

**) Theophanes Chronogr. p. 237. Nicephor. Const. p. 18.

***) Strabo VII. 4.

†) Vide Theophanem Chronogr. p. 245—248. Niceph. Const. p. 21. Cedrenum p. 351. et Zonaram, Tom. II. p. 73.

††) Const. Porphyrog. de admin. Imp. or. cap. 42.

„dicti Bulgari, consederunt pone Danubium et „Slovenis vim intulerunt.“ *)

In quem Nestoris locum celeberrimi Schlözeri commentatio memoratu digna est, quod ex ea methodus, qua res priscas tractabat vir famigeratissimus, abunde manifestetur: „*Bulgari*“ ait Sclözer „sunt *Scythae* hoc est, *Chazari*, klingt „gerade, wie die Chronikenschreiber des 9ten „Säc. die Normänner beschreiben: piratae Da„norum, ex insula Scanzia, quae Northvegia di„citur egressi, oder Luitprands: Russos Graeci „vocant, nos Northmannos. Der Name *Skyth*, „heifst nichts. Weder Bulgaren noch Chazaren „kennt man nach ihren Sprachen, also man „kennt sie nicht: nur dafs es ganz und gar ver„schiedene Völker waren, ist beinahe erwiesen; „und dafs Chazaren zum Türken Stamme gehö„ren ist wahrscheinlich. Nestor folgt hier seinen „Byzantinern, die in der Völker-Classification blin„de Leiter sind. Hat doch Kaiser Constantin Sla„ven und Abaren für ein Volk gehalten! Alles „was aus weiten Fernen erschien, hies in Con„stantinopel Skythe, Türk, Hunne. Doch wir „wollen gegen diese Alten nachsichtig seyn. „Wer von uns Neueren konnte dann noch vor „50 Jahren Geten und Goten, Hunnen, Abaren „und Madjaren, Tataren, Mongolen und Mand„schu etc. unterscheiden. Dafs die Ur-Bulgaren ein

*) „Sloven'skushe jazyku, jakoshe rkochòm, shivu„sczìu na Dunai, pridosza ot Skuf, reksze ot Kozar „(Pol. 2. Kazar), rekomii Bolgare, i siedosza po „Dunajevi, i nasilnitzie (al. nasielnitzy) Slovenom „biesza.“ Nestors russische Annalen, herausgegeben von A. L. von Schlözer. Göttingen, 1802. Tom. I. pag. 112.

„mächtiges Volk an der Wolga gewesen, ist „ausgemacht; daher zweifelt Niemand, dafs sie „von diesem Strome (Βουλγα beim Nikef. Gregor.) „den Namen haben: nur im russischen ist Wol-„ga und Bolgar radical verschieden. — Ihre er-„ste Erscheinung in Europa mag nicht lange vor „dem Jahr 500 geschehen seyn: bald nachher „fangen ihre Übergänge über die Donau an: „aber ihre festen Niederlassungen in der heutigen „Bulgarey fallen erst in die Jahre 678. Die hier „von den Bulgaren um eben die Zeit unterjoch-„ten Slaven sind keine russische Slaven, son-„dern die 7 Generationen am rechten Donau „Ufer, in Nieder-Moesien (jetzt Bulgarien ge-„nannt) Stritter II. p. 508." Hactenus Schlözer. Expendamus ejus tanquam e tripode dictas sententias. 1. Quid nomen Scytha denotet, alibi ostendi. *) Quali lingva Bulgari utebantur, perbene novimus. Nam Bulgari Theophane et Nicephoro testantibus, erant genere Hunni, et antequam Bulgarorum nomen accepissent, Gund-Úré vocabantur, ac lingva, quam nunc Hungaricam vocamus, utebantur, ut inferius videbimus. Nomen vero Bulgarorum, testante Nicephoro Gregora, nacti sunt a fluvio, quem indigenae Bulgam appellant, et qui plagam ad boream Danubii sitam permeat, quamque a Bulgaris initio saeculi V. occupatam fuisse superius vidimus. **)

*) In opusculo; Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge von Gr. Dankowszky. 1. Heft.

**) Χῶρος τις ἐστιν ἐς τὰ ἐπίκεινά τε καὶ βορειότερα τοῦ Ιστρου κείμενος, καὶ ποταμὸς ῥέων δι᾽ αὐτοῦ οὐ μικρὸς· Βούλγαν αὐτὸν ὀνομάζουσιν οἱ ἐγχώριοι· ἀφ᾽ οὗ δὴ καὶ αὐτοὶ τὸ τῶν Βουλγάρων μετειλήφεσαν ὄνομα, Σκύθαι τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντες. Nicephorus Gregoras, p. 12.

Bulgaros nomen a Volga, aquas suas in mare Caspium exonerante accepisse, ut Schlözer pro certo habet, falsissimum est. Nam Bulgari non a Volga, sed a mari Asovico venerant, et Volga non fluit trans Danubium, in plaga ad boream Danubii sita. Quis vero fluvius Bulga erit, a quo nomen Bulgari accepisse a Nicephoro Gregora perhibentur? Nicephoro Constantinopolitano, Theophane et Nestore testantibus Bulgari a mari Asovico venientes, in ea plaga consederunt, quae ab anteriore parte Danubii paludibus, a posteriore Transylvaniae montibus est munita, et in hanc plagam Nicephorus Gregoras Bulgam fluvium, quem haud parvum esse dicit, collocat, addens, ab indigenis Bulgam vocari. Fluvius hic ab indigenis Bulga vocatus, (alio igitur quoque nomine gaudebat) hodiernus Ardysch (Ordessos) *) in Transylvaniae montibus ortus, et Valachiam emensus, aquam suam Danubio uniens, mihi esse videtur, et nisi Ardysch sit, certe unus e majoribus Valachiam et Moldaviam irrigantibus fluviis est; nam ibi Bulgari patria ad mare Asovicum relicta consederant, et inde post 260 annos aetate Constantini Pogonati seu Anno Christi 679. Danubium transgressi, Moesiam utramqae, a novis incolis subinde Bulgariam dictam, in suam potestatem redegerunt. **) 3. Graeci Byzantini in gentibus in classes distribuendis, nequaquam, quemadmodum Schlözerus praetendit, coeci duces sunt, nec promiscue cuivis populo e longin-

*) Vide Dankowszky's Fragmente etc. 1. Heft. p. 22. et 23.

**) Vide Theophanem Chronograph. p. 238. Nicephorum Constantinopolitanum p. 18. et 19. et Nicephorum Gregoram p. 12.

quo venienti Scytharum, Turcorum Hunnorumque nomen indunt. Optime illi omnes singulosque hos populos norant, quibuscum bella gerebant, foedera pangebant, ad quos mittebant, et a quibus legatos recipiebant. Constantinus Porphyrogennetus minime putat Slavos et Avaros unam eandemque gentem esse, scribens: Heraclii Imperatoris aetate (initio saec. VII.) Romanos milites ad Danubium excubias agentes, flumen hoc transgressos, populos Slavicos, qui et Avari vocabantur, ibidem deprehendisse. *) Qui in penetralia historiae Byzantinae intravit, is profecto sciet, Slavos ab Avaris devictos, Avarorum quoque nomine insignitos fuisse. Ast Schlözerus ex excerptis, erronea versione latina donatis, quae Stritterus ex Byzantinis scriptoribus adornarat, notitias historicas hausit, et hac via labyrintho implicitus, Byzantinos inscitiae, quam ipse plurimis in locis prodit, immerito arguit. De Chazaris plura inferius.

Cum Hungarorum majores Theophilo imperante, seu initio saec. IX. sedibus priscis derelictis, ut infra videbimus, in Bessarabiam et Moldaviam ingressi, e Chazarorum vicinia remoti essent, per tria saecula, seu ab initio quinti post Christum natum, ubi Chazari sedibus priscis egressi in Hungarorum ad Kumam habitantium viciniam venerant, usque ad initium saeculi IX socii Chazarorum erant. Quare dicit Constantinus Porphyrogennetus: „Turci“ (Hungarorum majores) „una cum Chazaris trecentos annos habita-

*) Εὗρον ἔθνη Σκλαβινικὰ ἄοπλα ὄντα· ἅτινα καὶ Αβαρεῖ ἐκαλοῦντο. Constant. Porphyrog. de admin. J. O. cap. 28.

tractum etiam *Zárt* scribitur, idem plane significat, quod ἀσφαλοι, quod e Graecis Byzantinis ipsis probamus. Sic e. g. Nicephorus Constantinopolitanus, plagam Danubii paludibus una, Transylvaniae montibus altera parte conclusam, hostemque accessu prohibentem: *tutam*, ἀσφαλῆ appellat. *) Eodem sensu Agathias vocabulum ἀσφαλὴς adhibet, Campsas arcem firmam et tutissimam describens, in quam Gotthi confugerant, putantes se ibi in tuto (τῷ ἀσφαλεῖ ἔσεσθαι) fore. **)

Hunni igitur Caucaso monte muniti *Závárt*, *occlusi*, *tuti*, ἀσφαλοι recte dicebantur. Et divus Hieronymus nomen Závár latine reddidit, in epistola ad Oceanum scribens: „Caucasi rupibus feras gentes Alexandri *claustra* cohibent." Sive jam substantivum Závár sive participium Závárt amplectamur, semper veritas historica stabit.

Chazari initio saeculi V. plagam mari Asovico et Tanai fluvio vicinam occuparunt; Turci vero ducentis fere post annis Tiberio imperante agmina sua in campos supra Caucasum expansos infuderunt, ibidemque habitantibus Hunnis, Alanis, Chazaris aliisque populis partim devictis,

---

*) En ipsa Nicephori, p. 18. verba: περὶ τὸν Ἴστρον οἰκίζεται τόπον πρὸς οἴκησιν ἐπιτήδειον καταλαβόμενος· δυσχερῆ τε καὶ ἀνάλωτον πολεμίοις ὑπάρχοντα. Ἀσφαλὴς τέ ἐστι, τὰ μὲν ἔμπροσθεν τῇ τε δυσχερείᾳ καὶ τῷ τελματώδης εἶναι τυγχάνων, τὰ δ' ὄπισθεν κρημνοῖς ἀβάτοις τετειχισμένα. i. e. circa Danubium consedit in loco ad habitationem idoneo, qui difficilis accessu et hostibus inexpugnabilis est. *Tutus* (ἀσφαλὴς) hic locus est, anteriore sui parte difficili accessu et plagis palustribus, posteriore autem situ praecipitiis imperviis, tamquam muro munitus.

**) Agathias Lib. II. p. 35.

partim foedere sibi junctis, Bosporum urbem in Crimea hodierna, ad Cimmerium Bosporum sitam et nunc Kertsch dictam ceperunt sedesque ibi in plagis ad Paludem Maeotim (mare Asovicum) orientalibus fixerunt, testante Theophane Byzantio apud Photium ajente: „Ad Eurum (Süd-Ost) „Tanaidis Turci habitant, qui olim *Massagetae* „vocabantur, quos Persae sua lingva *Kermichiones* „dicunt. Et ipsi tunc dona et legatos ad Impe„ratorem Justinum miserunt, rogantes, ne Ava„ros susciperet. Justinus donis acceptis Turco„rum legatos, vicissim muneribus exornatos do„mum dimisit.“ *)

Abhinc Chazari et Hunni praeter indigenum nomen, Turcorum quoque nomen sunt adepti, quique olim *Hunni Závár* generatim, *Uguri* (*Ug-Úré*) seu *Hunnuguri* (*Hunn-Ug-Úré*) speciatim vocabantur, nunc *Turci* quoque appellabantur, quemadmodum enim Hunni Ephthalitae, ad boream orientalem Persiae degentes Turci quoque vocari incoeperunt, quamprimum Turcorum potestati subjecti fuissent; ita quoque Hunni Caucasii, a Turcis aut domiti, aut iisdem foedere juncti, Turci etiam nominabantur. Neque tamen avitum eorum nomen interiit, sed quemadmodum gens ipsa, ita quoque nomen Hunnugurorum (Hungarorum) hodieque celebratur. Hungari igitur non sunt

---

*) Ὅτι τὰ πρὸς Εὖρον ἄνεμον τοῦ Τανάϊδος Τοῦρκοι νέμονται, οἱ πάλαι Μασσαγέται καλούμενοι, οὓς Πέρσαι οἰκείᾳ γλώσσῃ Κερμιχίωνάς φασι. Καὶ αὐτοὶ δὲ ἐν τῷ τότε δῶρα καὶ πρέσβεις πρὸς βασιλέα Ἰουστῖνον ἔστειλαν, δεόμενοι μὴ ὑποδέξασθαι αὐτὸν τοὺς Ἀβάρους· ὁ δὲ τὰ δῶρα λαβὼν καὶ ἀντιφιλοφρονησάμενος ἀπέλυσεν εἰς τὰ οἰκεῖα. Theophanes Byzantius in Photii Bibliotheca ex recensione Immanuelis Bekkeri. Berolini 1824. p. 26. a.

origine Turci, quorum sedes primaevae in hodierna Turkestana erant; sed Hungari sunt oriundi ab Hunnis, qui ad Kumam fluvium, circa Caucasios montes ab antiquissimo inde aevo degebant. Unde vero Magyarorum nomen acceperint, alibi docui. *)

Consideremus porro, qua ratione Turcorum, in Turkestan degentium, imperium creverit:

„Ineunte hujus (p. C. n. 595.) anni aestate" inquit Theophylactus **) „Chaganus, qui ad orien„tem a Turcis celebratur, ad Mauritium Impera„torem legatos misit cum epistola, in qua de tri„umphis suis gloriatur. Inscriptio epistolae ad „verbum sic habuit: Imperatori Romanorum, Cha„ganus magnus dominus septem gentium et se„ptem ditionum orbis terrarum. ***) Revera enim „principem populi *Abdelorum,* (dico vero *Ephtha„litarum* nomine) bello adgressus vicerat hic Cha„ganus, gentisque imperium sibi adtribuit. Hac „igitur victoria sublatus, Stembischada socio belli „adscito, *Avarorum* gentem domuit. Ast ne quis „putet, nos in recensendo tempore errare, opi„nans nos loqui hic de Avaris, qui in Europa „sunt, Pannoniam ad Istrum inhabitant, et ante „Mauricii Imperatoris tempora (Justiniano I. im„perante) in Europam venerunt, sibique falso Ava„rorum nomen indiderunt; necesse est, ut paulo „post edicamus, unde hi falso dicti Avari ad Istrum „habitantes, genus ducant. Clade igitur affectis

*) Vide Dankovszky Hungarae gentis avitum cognomen, origo genuina sedesque priscae p. 18.

**) Theophylactus. VIII. 7.

***) Ὁ μέγας δεσπότης ἑπτὰ γενῶν, καὶ κύριος κλιμάτων τῆς οἰκουμένης ἑπτά.

„Avaris, (nam ad narrationem redimus) alii eo„rum ad incolas *Taugas* urbis (Ταυγάς) confuge„runt. (*Taugas* autem est urbs illustris 1500 si„gnis a Turcis dissita, Indis vero vicina. Barbari „circa Taugas stabulantes, gens robustissima, co„piosissima, proceritate omnes terrae habitatae „gentes superant.) Alii Avarorum post cla„dem acceptam ad humiliorem fortunam dejecti, „se conferunt ad gentem *Mucri* (Μούκρι) nomine, „quae populo Taugas est vicinissima. Mucri gens „ad proelia ineunda tum propter quotidiana belli „exercitia, tum propter tollerantiam in periculis „eximio animorum robore est praedita.“

Tiberio imperante Turxanthus Turcorum Chaganus, Constantinopolitanae aulae inimicus, Bosporum urbem cepit, nunc in amicitiam rediens, ad Mauricium Tiberii successorem legatos mittit, qui ejus victorias de gentibus reportatas apud Romanos celebrent. Septem gentium dominus esse gloriatur. Utique non Turcos solum, sed diversas a Turcis gentes indigitat, qui Turcorum nomine veniebant. Nam praeter *Abdelos* seu *Hunnos Ephthalitas*, Avaros quoque domuit, quorum pars ad *Taugas* gentem, in hodierno *Hindostan* habitantem, profugit, pars ad gentem *Mukri* se contulit. *Mukri* gens hodieque inter Afghanos viget, et provincia *Makran* nomine, plagâ australi mare Indicum attingens, ad septemtrionem Afghanistanae contermina, ad hunc usque diem persistit. *) Avari hi, quos Turxanthus acie victos dispulerat, non erant ex iis Avaris, qui nomen Avarorum ementiti Justiniano I. imperante,

*) Vide Dr. G. Hassel. Afghanistan pag. 7[illegible]0. Beludschistan p. 827.

„(Βακὰθ) vero, urbem ab *Hunnuguris* olim quon-„dam conditam, terrae motibus corruisse, *) Sog-„dianam quoque pestilentiae et terrae tremorum „gnaram esse. Turci admodum superstitiose ignem „colunt, aërem praeterea et aquam venerantur. „Terram quidem celebrant, at vero solum ado-„rant et nominant Deum, qui coelum et terram „creavit; huic equos, boves et oves immolant; „sacerdotes habent, qui et futurorum praedictio-„nem iis exponere videntur. Eo tempore popu-„lus *Tarniach* (οἱ Ταρνιὰχ) et *Katzageri*, (οἱ Κοτζαγη-„ροὶ) (et hi de gente *Uar et Chunni* erant,) a „Turcis profugerunt, et in Europam venientes, „populis Chagano *Avarorum* subjectis se adjunxe-„runt. Dicitur quoque populus *Zabender* (Ζαβενδὲρ) „de gente *Uar et Chunni* esse, qui ad *Avaros* pro-„fugerunt, eorumque potentiam auxerunt, quorum „ad decem millia fuisse compertum est. Turco-„rum igitur Chaganus bello domestico exstincto, „rempublicam feliciter administrabat, et cum *Tau-„gastensibus* (πρὸς τοὺς Ταυγὰς) quoque foedus per-„cussit, ut placidissimam undique tranquillitatem „nactus, principatum seditionis expertem sibi red-„deret. Princeps regionis Taugas, *Taisan* (Ταϊσὰν) „nominatur, quae vox graeca lingva *Dei filium* „significat. Regnum *Taugas* nullis intestinis bel-„lis agitatur, princeps enim iis haereditarius est. „Gens haec statuas superstitiose colit, legibus uti-„tur justis, et vitam frugalissimam agit. Consve-„tudo est apud eos, vim legis obtinens, ut ma-„res ornatu aureo in perpetuum abstineant; quam-„quam auro argentoque propter magnorum com-

*) Τὴν δὲ Βακὰθ ὑπὸ τῶν Οὐννουγούρων πάλαι ποτὲ πολισθεῖσαν, καταπεσεῖν τοῖς σεισμοῖς.

„merciorum commoditatem abundent. Regnum „hoc disterminat fluvius *Taugas* nomine. Olim „quondam inter duos maximos populos, sibi e „regione positos, medius hic fluvius fuebat, quo„rum alter nigra, alter cocco tincta veste uteba„tur. Nostris itaque temporibus, Mauricio Ro„manorum sceptra tenente, populus nigram ve„stem gestans, transmisso fluvio, rubram indu„to, bellum intulit, victoriaque relata, toto illo „imperio est potitus. Urbem Taugas Alexandrum „Macedonem, Bactrianis et Sogdaanis in suam „potestatem redactis, condidisse, dicunt barbari, „postquam centum viginti millia eorum igne de„levisset. In hac urbe Imperantis uxores, auro „et lapillis pretiosis sumtuose ornatae, utuntur „curribus ex auro confectis, quorum singuli ab „uno juvenco, froenis deauratis instructo, tra„huntur. Imperans septingentas uxores habet, „uxores vero illustrium Taugastensium argenteis „curribus utuntur. Fama est, Alexandrum aliam „quoque urbem, paucis signis distantem, aedifi„casse, quam *Chubdan* (Χουβδὰν) barbari vocant. „Imperantem mortuum uxores rasis capitibus, „pullam indutae, per omne tempus lugent, nec „ejus sepulchrum unquam deserere iis licet. Chub„dan urbs, duobus magnis fluviis est intercepta, „quorum littora, nutantibus, ut ita dicam, cu„pressis teguntur. Elephantes genti sunt multi. „Taugastenses Indis quoque mercatus causa mi„scentur; hos enim Indos circa boream degentes „ajunt esse albos. Vermes, e quibus texta seri„cea conficiuntur, admodum multi diversicolo„resque sunt; in quibus curandis magnum et ar„tificiosum studium praestant. Verum ne histo„riam a meta proposita abducamus, hactenus de

„Scythis ad Bactrianam, Sogdianam et nigrum flu-
„vium a nobis dictum esto."

In hac Theophylacti narratione notari merentur: 1) Turcorum Chaganus eum, qui sibi imperium eripere contendebat, domiturus, tres alios magnos Chaganos ad suppetias sibi ferendas invitat. Qui illi fuere? — Certissime ex hodierna Mongolia, nam Turxanthi cognatus rebellis *Turum*, (apud Menandrum *Tardu*, alterutra lectione vitiata,) *) in monte Ektel (nunc Altai) sedem habuit; pugna conserta est in deserto Ikar (nunc Kobi in Mongolia) Altai monti ad meridiem subjacente. Nomina praeterea Chaganorum, *Sparzeugun*, *Kunaxola* et *Tüldich* Tatarica esse videntur. 2) Plures populi de gente Uar et Chunni, variis temporibus, Turcorum dominatum exosi, profugerant, et quidem aetate Justiniani I., qui Avarorum nomen sibi erant ementiti, et Mauricio imperante seu post 20 circiter annos de eadem gente Uar et Chunni populi *Tarniach*, *Kotzager* et *Zabender* nomine, patria deserta ad suos populares in Pannonia dominantes, transmigrarunt, eorumque potentiam auxerunt. Tandem Joanne Duca imperante, seu circa med. saec. XIII. duce Dshingischano, qui e stirpe *Kalcha*, oriundus erat, sedibus antiquis egressi, Asiam et Europam pervastarunt. **) 3) Per gentem *Taugas* hodierni Tangustan seu Butan Indiae contermini incolas intelligi dubitari nequit, nam Taugas cum Indis commercium exercere perhibentur, Lamaismum, seu religionem, vi cujus rex filius Dei esse creditur, quoque sectantur. Turxanthi igi-

*) Vide Supra pag. 59.

**) Vide Nicephorum Gregoram Lib. I. c. 5.

tur imperium ab Austro hodierno Tangustan, a borea Siberiae, ab occasu Persarum regno, mari Caspio, ab ortu Sinensium imperio erat conterminum; quare et Turxanthus in epistola ad Mauricium missa, septem gentium et totidem regionum se dominum jactat. Ast non diu hac gloria potiebatur, Turci enim Mauricii imperantis anno VI. salutis 588., ab Ormisda Persarum rege, Baram duce, devicti, eo redacti sunt, ut 40,000 aureorum, antea tributi nomine, sibi a Persis pendi solitorum, nunc Persis solvere debuerint. *)

Cunctis his testium fide dignorum narrationibus expensis, quas interpretatione fideli donare adnitebar, et studio integras proposui, ut quilibet perspicere posset, me nullius privatae opinionis sectatorem esse, sed documentorum duntaxat vetustate sacratorum interpretem, veritas sole clarior elucescit Hungarorum majores esse Hunnos Závár, eorumque sedes antiquas in plagis Caucaso monti, ad boream adsitis, fuisse. Nam:

1) *Hungarorum majores non erant, Hunni Ephthalitae seu Abdeli, qui ad boream orientalem Persiae degebant; et olim Kidaritae* (Κιδαρῖται) *vocabantur* **) hi enim Justiniani I. aetate a Turcis sub jugum missi, Mauricio imperante et sequiori aevo iisdem parebant, hodieque variis populis immixti ibi degunt, ut superius in historia de Hunnis Ephthalitis vidimus.

2) *Hungarorum majores non erant de gente Uar et Chunni;* nam pars de Uar et Chunni, ex hodierna Mongolia profuga, Justiniani I. aetate

*) Vide Theophylactum III. 6. et Theophanem Chronograph. p. 146.

**) Vide Priscum in excerptis de legat. p. 32. 50. 51.

seu circa med. saec. VI., Avarorum nomen ementita in Pannonia consedit, ad quam paulo post, Mauricio imperante, pars altera in Pannoniam exulavit, seque suis popularibus adjunxit, et reliqui Uar et Chunni saec. XIV. primum sedibus suis relictis, Asiam et Europam vastarunt. Ergo Hungari non descendunt a Tataris, Mongolis et Kalmukis. Fallitur igitur vehementer clar. Pray asserens *) Hunnos a Sinensium limitibus ad initia Valentiniani I. seu circa annum 364. inter Volgam et Tanaim fluvios transmigrasse atque adeo plagas, ad Caucasi montis boream sitas, non esse Hunnorum solum natale. Quin imo scriptores suppares et fide dignissimos erroris arguere audet, uti D. Hieronymum, qui, in epistola ad Oceanum, dissertis verbis Hunnorum sedes designat, ajens: „Ecce subito discurrentibus nunciis „oriens totus intremuit; ab ultima Maeotide in„ter glacialem Tanaim et Massagetarum immanes „populos, Caucasi rupibus feras gentes Alexan„dri claustra cohibent, eruperunt Hunnorum exa„mina, quae pernicibus equis huc illuc volitan„tia, caedibus pariter ac terroribus cuncta com„pleverunt.“ Ita quoque Paulum Orosium hallucinatum fuisse putat, in haec verba scribentem: **) „Siquidem gens Hunnorum *diu* inac„cessis seclusa montibus, repentina rabie percita, „exarsit in Gotthos, eosque — — ab antiquis se„dibus expulit.“ Nec Jornandem a mendo liberum pronuntiat, narrantem: ***) „quorum (Hun„norum) natio saeva, ut Priscus historicus refert,

*) Pray Annal. Hunnor. p. 60.

**) Paulus Orosius, Historiar. Lib. VII. c. 23.

***) Jornandes de rebus Geticis, c. 34.

„in Maeotide palude ulteriorem ripam insedit, ve-„natione tantum, nec alio labore experta, nisi „quod, postquam excrevit in populos, fraudibus „et rapinis vicinam conturbavit."

Si cl. Pray advertisset, Hunnos, maribus Asovico et Caspio, Caucasoque monte conclusos, diversos esse ab illis, qui in hodierna Mongolia habitabant, et Sinenses armis infestabant; profecto de virorum scientia, qui Hunnorum avitas sedes Maeotim Paludem inter et Caspium mare ponunt, nunquam dubitavisset, nec suae erroneae assertionis constabiliendae gratia, *Magnam Bulgariam*, quae teste Nicephoro Constantinopolitano, circa Asovicum mare et Cubanum fluvium sita erat, *) trans *Volgam* relegasset. Ast non tantum D. Hieronymi, Orosii et Jornandis testimonia, Prayanae assertioni obstant, verum etiam Zosimus, **) Procopius Caesariensis, †) Agathias Scholasticus ††) aliique, quos excitare piget, uno ore consentiunt, Hunnorum avitas sedes ultra Caucasum, Asovicum inter et Caspium mare fuisse.

---

*) Περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην, κατὰ τὸν Κωφίνα ποταμὸν, καθίστυται ἡ πάλαι καλουμένη μεγάλη Βουλγαρία. Nicephorus Constantinopolitanus p. 18.

**) Καὶ τοῦτο γὰρ εὗρον ἱστορημένον, ὡς ἐκ τῆς ὑπὸ τοῦ Ταναΐδος καταφερομένης ἰλύος ὁ Κιμμέριος ἀπογαιωθεὶς Βόσπορος, ἐνέδωκεν αὐτοῖς (τοῖς Οὔννοις) ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Εὐρώπην πεζῇ διαβῆναι. Zosimus Historiar. Lib. IV. c. 20.

†) Πάλαι μὲν Οὔννων, τῶν τότε Κιμμερίων καλουμένων, πολύς τε ὅμιλος τὰ χωρία ταῦτα ἐνέμοντο, ὧν ἄρτι ἐμνήσθην. Procopius de bello Gotthico. Lib. IV. cap. 5.

††) Οἱ Οὖννοι τὸ γένος, τὸ μὲν παλαιὸν κατῴκουν τῆς Μαιώτιδος λίμνης τὰ πρὸς ἀπηλιώτην ἄνεμον. Agathias Scholasticus V. p. 107.

3) *Hungarorum majores, non erant Turci; Hunni enim Závár et Hunnuguri, Hungarorum avi*, circa Caucasum et Kumam fluvium habitantes, multo prius deprehenduntur, quam Turcorum legati cum Zemarcho Constantinopolim proficiscentes, in eas plagas veniant. Hungarorum avos non esse *Hunnos*, quia Heraclii aetate Hunni jam disparuerant, aut aliis populis immixti erant, ut Anonymus (in Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. VI. p. 39.) asserit, nulla refutatione eget; vidimus enim superius, Hungarorum majores adhuc Saec XI. Hunnorum nomine venisse. Sed cum Anonymus ad Heraclii aetatem provocet, ei ostendemus; Heraclio imperante Hunnos, circa Caucasios montes habitasse, et quidem eosdem, qui huic imperatori adversus Persas suppetias tulere. Anno decimo quarto Cedrenus narrat, *) pugnas inter Heraclium et Persarum belliduces consertas, in quorum una Heraclii exercitus fusus, Heraclius ipse, per loca aspera (Caucasum montem) ad *Hunnos* confugit. Proelium autem hoc commissum est in *Albania* et *Iberia*, provinciis Caucaso monti ad meridiem adsitis. Hunc eventum refert quoque Theophanes. **) Duobus post annis iidem Hunni, Turcorum seu Chazarorum nomine, nam horum erant foederati, Heraclio adversus Chosroëm Persarum regem auxilio veniunt, id quod superius oratione fusa enarravimus. Hunnorum igitur genus, ut paulo post videbimus ante aetatem Heraclii minime evanuerat. „Cum Hungarorum majores" continuat Anonymus „non possint esse Hunni, ergo possunt

---

*) Cedrenus pag. 325.

**) Theophanes, Chronographiae pag. 208.

„esse Turci. Sed quales Turci? Erant etiam ta„les Turci, qui olim *Sabartiasphali* nomen gere„bant Constantino Porphyrogenneto testante. *)

Sed primo Constantinus non dicit, Turcos quoque tales fuisse, qui olim dicebantur Sabartiasphali, sed inquit, Hungarorum majores olim, dum in avitis sedibus habitabant, non dictos fuisse Turcos, sed *Závár* (Σαβαρ) i. e. ἄσφαλος seu tutos fuisse cognominatos **) Porro illud *cognominatos* indicat clarissime, plures ejusdem nominis populos fuisse, a quibus Hungari per cognomen Závár distinguebantur. Tales populi erant Hunni, qui variis nominibus a sese secernebantur, ut inferius videbimus, inter quos celebratissimi copiosissimique erant Hunni, cognomine Závár, (Σαβαρ, et incuria librariorum Σαβηρ, Σαβειρ, Σαβιρ in libris editis exscripti). Qua purpurati scriptoris institutione edocemur, Hungarorum avitum cognomen fuisse Závár, posteriori vero aetate Turcos compellatos fuisse.

Ast, qui sunt illi Turci, qui olim cognomen Závár gerebant? — Anonymus nullos in lucem profert, nec proferre potest; sed nominat montem *Zapaortene* nomine, qui fortitudinem significet, et ab eo Hungarorum majores *Sabarti* dictos fuisse autumat. Ast nec Hunni, nec Turci unquam, ut disputationem de lana caprina pau-

---

*) Juvat Anonymi ipsa verba adferre: „Hunnok se „lehettek: mert ekkor (Heraclii aetate) már kipusz„tultak, vagy más nemzetekkel öszve vegyültek. „Micsoda Turkusok lehettek tehát? Voltak olly Tur„kusok is, kik régenten Sabartiasphali nevet visel„tek P. Constantin' tanusága — szerént.“

**) Οὐκ ἐλέγοντο δὲ τῷ τότε χρόνῳ Τοῦρκοι, ἀλλὰ Σαβαρτοι ἄσφαλοι (seu Σαβαρ ἤτοι ἄσφαλοι) ἐπωνομάζοντο.

cis absolvam, in Zapaortene habitabant, hinc neque inde nomen adipisci poterant. *Zapaortenon* est mons in *Arktikene* (Ἀρκτικηνή) regione Parthiae (nunc Kohestan) in quo teste Justino, *) Arsaces urbem, nomine Daram condidit, et quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Cyrus Persis, matura senecute decedit.

4) *Hungarorum majores non erant. Chazari*; Hungari enim testante Constantino Porphyrogenneto **) alia lingva, quam Chazari utebantur, quae vero Chazaris vernacula fuerit, alibi docui. ***)

5) *Hungarorum majores non erant Finni et Lappones.* Cl. Pray in Annalibus Hungarorum anno 1764. vulgatis Hungaros ab Hunnis, ad septemtrionem Chinae olim habitantibus deduxit, post 14 annorum spatium, dissertationes historico criticas in eosdem annales veteres Hunnorum, Avarum, et Hungarorum, anno 1775. Viennae publici juris fecit, in quibus Hungaros a Finnis et Lapponibus originem trahere asserit, dummodo Finni Hunnici generis sint. Finnos igitur Hunnis moribus esse similes probare conatur, et ex aliquot vocabulorum Finnicorum cum Hungaricis similitudine, Hungaros a Finnis descendere pronuntiat. Ast populi in eodem culturae gradu consistentes eosdem fere mores habent, similitudo vero aliquot vocabulorum non demonstrat gen-

*) Justinus Hist. Philipp. Lib XLI. c. 5.

**) Const. Porphyr. de adm. J. O. c. 39.

***) Vide Dankowszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge, 1tes Heft, pag. 12. et 13.

tium aequalem originem. Profecto Procopius Caesariensis scriptor saeculi medii VI., qui Hunnorum omnia genera optime noverat, eorumque sedes a Caucaso monte usque Tanaim fluvium extendit, Finnos non ultra Norvegiae limites posuisset *) si Finni gens Hunnica essent. Nec intermisissent scriptores commemorare, quomodo majores Hungarorum, orientalibus notissimi, et qua occasione ex asperrimo borea ad Caucasios montes transmigraverint. **)

Jam de Hunnis, quorum maxime diffusum fertilissimumque ramum Hungarorum majores constituebant, dicendum est, ut erroneas, quas de iis cuncti recentiores scriptores vulgarunt opiniones, dissipemus, et re e tenebris in lucem prolata, Hungarorum genus et patriam priscam cognoscamus.

Regio Paludis Maeotidos (maris Asovici) ad ortum sita, ergo hodiernum Kubanum et Kumanum desertum, ad septemtrionem Caucasi expansum, sedes priscas Hunnorum constituebat. „Hi" inquit Agathias †) „communi nomine *Hunni* „et *Scythae* vocabantur, privatim vero juxta ge„nera denominabantur, ut: 1) *Ütig-Üré* (Οὐτιγου„ϱοι ††)" i. e. Hunni ei domino parentes, cujus territorium viam pro limite habuit, 2) „*Kütig-Üré* Κουτίγουϱοι)" i. e. ejus domini, cujus ditio ad pu-

---

*) Procopius de bello Gotthico II. 15.

**) Ad hoc respondet I. Ch. ab Engel ajens (Geschichte der Ungarn p. 58.) „qui eventus Hungaros „ab aspero septemtrione in meridionalem Asiam in „viciniam Caucasi vibraverit, ignoramus."

†) Agathias scholasticus V. 107 — 108.

††) Agathias scholasticus V. p. 108. 118.

teum usque pertingebat. 3) „*Hóllwiz-Úré* (Οὐλτίζουροι“) i. e. Hunni ad eum dominum spectantes, in cujus territorio aqua stagnans, palus, erat. 4) „*Burugundé* (Βουρούγουνδοι)“ i. e. quorum dominus Burugund est. „Alii aliter cognominabantur, pro„ut iis *patrium* et *consvetum* erat.“ Hactenus Agathias.

E verbis Agathiae: „prout iis *patrium* et *con„svetum* erat, (ὡς ἂν αὐτοῖς πάτριον τε ἦν καὶ εἰθισμένον)“ intelligimus, denominationes has fuisse vernaculas, quas Hunni ipsi sibi indiderant. Et inde simul discimus, Hunnos juxta territorii limites inter se fuisse divisos. Cuique territorio erat dominus, (Úr) qui a territorii sui extensione nomen habebat, uti: Kútig-Úr, Útig-Úr. etc. Populus vero, testante Procopio Caesariensi, *) a suo Domino nomen gerebat, hinc Kútig-Úré, Útig-Úré vocabantur.

Antequam reliquorum Hunnorum historiam exponamus, de iis generibus Hunnorum, qui Valente imperante e suis priscis sedibus emigrarunt, perspicuitatis causa prius est dicendum.

Gens ad paludem Maeotim (mare Asovicum) habitans, fretum, quo mare Asovicum cum nigro jungitur, *Kimerö*, i. e. *exhauriens* ideo vocabat, quod per illud fretum aqua ex uno mari in aliud quasi hauritur, inde Graeci fretum hoc *Kimmerium* dixerunt, et populum ibidem degentem *Kimmerios* vocitabant. **) Kimmerii hi, postmodum *Hunni* dicti, teste Procopio ***) erant

---

*) Procopius de bello Gotthico. IV. 5.

**) Quare Bosporum nominarint, disces e: G. Dankowszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge, 1tes Heft, p. 43.

***) Procopius de bello Gotthico IV. 5.

gens ampla (πολὺς ὅμιλος) unique regi parebat. Quondam unus horum regum duos filios habuit, *Utig-Ur* et *Kútig-Ur* nomine, qui a morte patris, regno inter se diviso, de suo nomine subditos dixere; inde alii *Útig-Úré*, alii *Kútig-Úré* appellantur. Erant quoque alii Hunni, qui copiosos lacus, quos Palus Maeotis efficit, accolebant, horum alii Hóltt-Viz-Úré vocabantur, alii *Burugundé* audiebant.

Hi Valente imperium tenente, anno salutis 376. avitis sedibus relictis, cum equis et uxoribus et liberis et iis rebus, quas secum vehebant, Bosporo Cimmerio trajecto, habitantes super Istrum Scythas invaserunt. Ac stataria quidem pugna prorsus neque poterant, neque norant, hostem adgredi: (quo enim id pacto? qui ne quidem in terram firmiter pedes defigere poterant, sed in equis haerebant interdiu et somnum capiebant) sed partim circum equitando, partim excurrendo, partim opportune retrocedendo, et ex equis jaculando, immensam Scytharum caedem edebant. Quod cum frequenter facerent, nationem Scythicam ad eam fortunam redegerunt; ut superstites domiciliis suis relictis, Hunnis ea traderent incolenda, ipsi fugam capessentes, in adversam Istri ripam trajicerent, erectisque manibus, supplices ab Imperatore se recipi peterent: simulque pollicerentur, officio se fidorum et constantium sociorum functuros. Eam rem, quum praesidiis oppidorum ad Istrum praefecti, eousque differrent, donec de voluntate principis cognitum fuisset: Valens, uti reciperentur, armis prius depositis, permisit. *) Scythae hi ab

*) Vide Zosimum IV. 20. Ammianum Marcellinum XXXI. 2. seqq. Eunapium in excerptis de legatio-

Hunnis profligati erant Gotthi, testante Procopio et Theophane, *) quare in proverbium abiit; Scythas (Gotthos) Hunnorum, Romanos Scytharum detestari nomen. **) Quantae igitur autoritatis sit Jornandes Gothus, de Hunnis narrans, hinc judicare licet.

Hóltt-viz-Úré, Burugundé et Kútig-Úré Hunni, (Útig-Úré in natali solo manentibus) avita ad Bosporum Cimmerium patria relicta, in plagas supra Danubium sitas, populis intermediis, per quos transibant, male habitis, Valente imperante adveniunt, et Gotthis trans Danubium in Moesiam (hodiernam Bulgariam) pulsis, ipsi terram eorum occupant. Inter hos Hunnos crevit heros, flagellum Dei adversus mortales, quem sui populares accomodo nomine Attila (Agy-tiló i. e. capitum frangibulum, den Schedel zertrümmerer) vocitabant. Ast non longaevum Attilanorum Hunnorum nomen fuit, Attilâ enim, Marciani imperii anno IV. salutis 454, fatis functo ***) ejus filii *Gyenge-szügy* (Δεγγιζιχ) i. e. *teneris humeris praeditus*; et *Ér-nyak* (Ἡρναχ) i. e. *cervice venosa praeditus*, inter se dissidentes, rem suam perdiderunt. Missis enim ad Leonem Marciani successorem legatis, qui dissidii, quod inter Romanos et Hunnos prius intercedebat, causas diluerent, et ab imperatore postularent, ut Hunnis ut olim, nunc quoque liceret, mercatum ad Danubium exercere, quum a Leone, quae postulabant, non obti-

---

nibus p. 13, Agathiam scholasticum. V. p. 108. et Procopium de bello Gotthico. IV. 5.

*) Theophanes Chronograph. pag. 44. Procopius de bello Gotth. IV. 5.

**) Eunapius in excerptis de legationibus p. 14.

***) Theophanes Chronograph. p. 74.

nerent; Gyenge-szügy bellum Romanis inferre volebat, cui apparatui Ér-nyak repugnabat. *)

„Hunni igitur Hóltt-viz-Úré et Burugundé" ait Agathias **) „usque ad aetatem Leonis cele-„bres erant potentesque sunt habiti, nos vero, qui hac aetate, „(circa 590.) vivimus, nec sci-„mus, neque sciemus, utrum interierint, an vero „sedes suas, hinc quam remotissime, transtule-„rint." Attamen Theophanes annotavit, †) post filios Attilae, Valamerem Gotthorum ducem, aetate Leonis Thracis, gubernacula tenuisse, quare reliquiae Hunnorum Attilanorum Gotthis immixtae nomen perdiderunt.

Hunni Kútig-Úré suae genti et famae diutius consuluere. Nam ultimis adhuc Justiniani I. imperantis annis, seu circa 560, Kútig-Úré duce *Zabergán* (Ζαβεργᾶν) ipsam Constantinopolim cepissent, ni Belisarii virtute scientiaque militari repressi fuissent. Deinde Justinianus, ab his horrendis hospitibus liberari cupiens *Szándékló* (Σάνδιγλος) Útig-Uréorum ducem sibi foedere junctum, eo permovit, ut Hunnos Kútig-Úré bello lacesseret. Hunnis istis, cladibus mutuis interea attritis, *Avari* de gente *Uar et Chunni* supervenerunt, Hunnosque in servitutem redactos, nomine quoque privarunt. ††) Hinc jam facile intelliges, si apud Byzantinos legeris. „Hunni, qui nunc „Avari vocantur."

*) Priscus Rhetor in excerptis de legationibus p. 30.

**) Agathias V. p. 108.

†) Theophanes Chronograph. p. 90.

††) Agathias V. p. 108. Menander Protector in excerptis de legat. p. 89.

Dum Hunni Attilani Europâ pervastatâ, a brevis gloriae culmine praecipitati, peregrinarum gentium servi facti sunt; interea fratres eorum avitis supra Caucasum campis adhaerentes, nativae fortitudinis specimina, jam adversus Persas, jam adversus Romanos dimicantes, edunt: et *Hóllt-víz-Úré* Hunnorum gloria cum Agytiló (Attila) consepulta, nomen honosque *Hunnorum Závár* (Hungarorum patrum) in novissimis nepotibus fulgent; quorum sedes priscas et genus, in quem finem omnis nostra oratio tendit, speciatim considerare oportet.

Hunnis *Útig-Úré*, *Kútig-Úré*, *Hóllt-víz-Úré*, *Burugundé*, *Gund-Úré et Kotor-ág* ex avitis ad Maeotim paludem (mare Asovicum) sedibus in Europam profectis, Hunni *Závár* (Hungarorum patres) his vicini, sed magis ad ortum, Caspium mare versus degentes, solo natali fideles manserunt.

Hunni *Závár* totam fere plagam supra Caucasum montem occupabant, testibus Procopio Caesariensi *) et Agathia: **) „Hunni Závár sunt gens maxima et copiosissima, bellicosissima „promtissimaque"; et iterum Procopio narrante: „in multos principatus (ἐς ἀρχὰς) rite divisa."

Procopius clare dicit, Hunnos hos circa Caucasios montes habitantes *etiam* Závár vocari, †) et certissimum est, Hungaros ab Hunnis Závár originem trahere, cum Constantinus Porphyrogennetus dissertis verbis dicat, Hungaros olim, ante-

*) Procopius de bello Gotthico IV. 3. 11.

**) Agathias IV. p. 85. seq.

†) Οὖννοι δὲ, οἱ καὶ Σάβειροι καλούμενοι, ἐνταῦθα ᾤκηνται. Procopius de bello Gotthico IV. 3.

quam Turcorum nomen accepissent, Závár cognominatos fuisse, eo magis, quod Scylax sedes Hungarorum priscas, in plaga Caucaso monti ad boream adsita, et Constantinus Porphyrogennetus ad Kumam ibidem fluentem ponant, ubi quoque sedes Hunnorum Závár erant.

Hunnorum Závár in historia Byzantina primum mentio fit Leone Thrace imperante, seu circa med. saec. V., ubi Hunnos sibi vicinos *Zárág-Úré* (Σαράγουροι) *Úrógé* (Οὔρωγοι) et *Onog-Úré* ('Ονόγουροι) manu conserta vicisse, sedibusque avitis, pepulisse perhibentur. *) Ab Hunnis Onog-Úré; seu Onug-Úré, (Ονούγουροι) narrante Agathia, **) olim cum Colchis decertantibus victisque, locus, in quo proelium est commissum, in perpetuam rei memoriam *Onuguris* est dictus, hodieque nomine detorto *Anarghia* vocatur, estque urbs in meridionali Caucasi plaga ad mare nigrum sita. Hunnos ad Caucasum antiquissimo aevo habitasse ex hoc quoque apparet, quod Agathias scriptor saecul. med. VI. dicat, pugnam hanc *olim* consertam fuisse. Prisco rhetore testante †) Hunni *Zárág-Úré, Úrogé* et *Onog-Úré* erant Hunnorum *Závár* populares; ita quoque *Ug-Úré* seu complete *Hunn-Ug-Úré*, (unde *Ugor* Russis, *Hungari* Latinis dicebantur Magyari) ramus Hunnorum *Závár* erant Menandro perhibente. ††) *Závár* igitur commune erat nomen Hunnorum, qui pro-

---

*) Priscus Rhetor in excerptis de legationibus p. 29.

**) Agathias III. p. 55.

†) Priscus rhetor in excerptis de legat. p. 29. Σαράγουροι καὶ Οὔρωγοι καὶ 'Ονόγουροι, ἔθνη ἐξαναστάντα τῶν οἰκείων ἔθνων Σαβίρων ἐς μάχην σφίσιν ἐληλυθότων.

††) Οὐγούροις, εἶτα Ζάλοις, Οὐννικῷ φύλῳ καὶ Σαβήρους δὲ καθεῖλον. Menander in excerpt. de legat. p. 67.

pe Caucasios montes degebant, et hoc naturali munimento *tuti* ασφαλοι erant; speciatim vero juxta genera cognominabantur. Constantinus Porphyrogennetus de Hungaris loquens generali nomine Závár eos insignit.

Hunni Zárág-Úré, Úrógé et Onog-Úré ab Hunnis Závár pulsi primum ad Romanos miserunt legatos, deinde ad *Chazaros* se contulerunt *) Chazaros initio saec. V. plagas Maeotidi paludi (Asovico mari) adsitas, sui juris fecisse, superius vidimus. Priscus Rhetor scriptor medii saeculi V., eos Scythicam gentem adpellat, quae juxta populos et genera multos principes habet, **) et Theophanes eos magnam gentem vocat. †) Eorum imperium a mari Asovico, juxta mare nigrum, usque ad Danaprim fluvium extendebatur. ††)

„Chazarorum gens" narrante Prisco Rhetore, †††) „Attilae hac de causa se adjunxit:

*) Priscus Rhetor in Excerptis de legationibus p. 29. Incuria librariorum Ἀκάτιροι, p. 29. Ἀκάττιροι p. 30. Ἀκάτηροι p. 40. Ἀκατίζιροι p. 37. Κάτζιροι p. 37. in editis exhibetur. Κάτζιροι et Ἀκάτζιροι utrumque bene. Hunni enim Hungaricum articulum A' praefigendo, eosdem A' Κάτζιρ vocabant.

**) Πολλῶν κατὰ φῦλα καὶ γένη ἀρχόντων τοῦ ἔθνους. Priscus Rhetor in Excerptis de legationibus, p. 37.

†) Τὸ μέγα ἔθνος τῶν Χαζάρων. Theophanes Chronograph. p. 237.

††) Παιδῶν τῶν τοῦ Ἀττιλᾶ ὁ πρεσβύτερος ἦρχε τῶν Ἀκατήρων, καὶ τῶν λοίπων ἔθνων, νεμομένων τὴν πρὸς τὸν Πόντον Σκυθικὴν. Priscus Rhetor, l. c. p. 42. I nesósza Kozarie kKniaziu svojemu i k Stariejszinam svoim, i riesza im: se naliezochom dan' novu. Onishe riesza im: otkudu? onishe riesza im: vliesiech na gorach nad riekoju *Dnieprskoju*. Nestor Annal: Russ. P. I. c. 14. edit. Schlözer. p. 136.

†††) Priscus Rhetor l. c. p. 37. et 42.

„Theodosius junior, (imperabat 408 — 450.) mis-
„sis donis Chazaros permovere studebat, ut reli-
„cta Attilae societate, Romanorum amicitiam am-
„plecterentur. Legatus non secundum dignitatis
„gradum, munera principum singulis distribuit.
„Quare Kurz-gedák," (Κουριδάχ, i. e. pullorum vorax, der Hühnerfresser) „qui in principatu se-
„nior erat, quum secundo loco munera accepis-
„set, se contemtum, suoque honore privatum
„reputans, Attilam adversus suos in principatu
„collegas vocavit; qui multas copias expedire mi-
„nime cunctatus, principum aliis peremtis, aliis
„sibi adjunctis, Kurz-gedákum ad se venire invita-
„vit, ut victoriae praemiorum particeps fieret. Hic
„insidias sibi strui suspicatus, Attilae significa-
„vit: Difficile esse homini in conspectum Dei ve-
„nire; Si enim immotis oculis solis orbem nemo
„intueri potest, quomodo Deorum maximus, abs-
„que noxa adspici quiret? Kurz-gedák igitur apud
„suos mansit, et omnis reliquae Chazarorum,
„Attilae non adsociatae, gentis, imperium conser-
„vavit; cujus gentis regem, filium seniorem Atti-
„la constituere desiderans, ad hanc rem confici-
„endam, Onegesium misit. Attilae filius, natu
„maximus, Chazarorum et reliquarum gentium
„terram Scythicam, ad Pontum (mare nigrum)
„incolentium, rex factus est."

Gentes Scythicam terram, mari nigro adsitam incolentes, erant genere Slavi, prout et ipsi Chazari. *) Imo Attilae uxorum una Slava fuit,

*) Dankovszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge, 1tes Heft. p. 12 — 13.

Krehká (Κρέκα) nomine, i. e. tenella, ex qua tres filios genuit. *)

Quanto cum studio Schlözerus, illud Historicorum portentum, in Byzantinos scriptores incubuerit, inde judicare licet, quod Chazarorum nomen, anno 626., Heraclii aetate primum innotuisse asserat. **)

Chazari non tantum cum Attila, qui ad Danubium dominabatur, nexi sunt; sed etiam cum populis, ultra Caucasum montem habitantibus societatem colunt. Mox post Attilae fata, Leonis Thracis Romanorum et Perozis Persarum Imperatoris aetate, seu circa med. saec. V. Chazari cum *Zárág-Uréis*, qui paulo ante ab Hunnis Závár pulsi, ad eos confugerant, in Persiam invadunt; cui expeditioni se *alii* quoque *populi* adjungunt. Et primum quidem ad Portas Caspias adpellunt, quas dum a praesidio Persico defensas experiuntur, in aliam viam se convertunt, quâ in Iberiam ingressi, eam vastant, et Armeniorum loca percursant. ***)

Ad portas Caspias habitabant Hunni Závár, (Hungarorum majores) et cum praeter Zár-ág-Uréos alii quoque populi huic expeditioni in Armeniam et Iberiam, Caucaso monti ad meridiem adsitas intererant, nullum dubium esse potest, jam tunc avos Hungarorum Chazaris foedere junctos fuisse, et ita Hungari, Chazarorum in omni-

---

*) Priscus Rhetor l. c. p. 30.

**) Die mächtigen Chazaren, deren Name zuerst um das Jahr 626. in der Geschichte erhört wird, brechen etwa nach dem Jahre 650. aus Asien nach Europa vor etc. Nestor russisshe Annalen von Schlözer, 1ter Thl. p. 138.

***) Priscus Rhetor l. c. p. 30.

bus bellis socii, per tercentos annos, i. e. a saec. V. usque init. saec. IX. fuisse, a Constantino Porphyrogenneto recte pronuntiantur. *)

Non est hujus loci Hunnorum Závár res gestas, quibus historia Byzantina est referta, universas enarrare; nos pro scopo habemus ostendere, ad quam usque aetatem majores Hungarorum, nomine Hunnorum Závár veniant, donec eosdem Turcos aut Chazaros vocare, scriptoribus familiarius evasit.

Ultimo Tiberii imperantis aetate, seu circa finem saec. VI. Hungarorum majores nomine Závárorum commemorantur, ubi cum Romanarum copiarum ducibus dispiciunt, quomodo per montosam regionem, qua iis erat proficiscendum, sit progrediendum. **) Hungarorum patres simpliciter quoque Závár, (Σαβήρους) omisso Hunnorum nomine dictos fuisse, cum ex aliis, tum ex loco modo citato, manifestum fit. Hinc Constantinus Porphyrogennetus, neglecto Hunnorum nomine, eos Závár olim dictos fnisse, simpliciter ait.

Mox Heraclii aetate, seu post triginta circiter annos, Chazarorum sive Turcorum nomine Hungarorum majores veniunt, neque tamen Hunnorum nomen penitus amittunt. Sed cum praeter Hunnos Závár alii quoque Hunni, ut superius vidimus, Chazarorum societatem sunt amplexi, scriptores Hunnos, juxta eorum cognomina

---

*) Vide supra pag. 70.

**) Σαρακηνοὶ δὲ καὶ Σαβῆροι, σὺν τοῖς Ρομαίων ἄρχουσι, περὶ τοῦ πῶς δεῖ προελθεῖν τὴν ὀρεινήν. διασκεπτόμενοι. Menander Protector in excerptis de legationibus p. 112.

non amplius distingvebant; sed eos qua Chazarorum foederatos, passim Chazarorum nomine comprehendebant; Hunnos vero tunc tantum distincte vocabant, si rei adjuncta aut perspicuitas id exposcebant.

Ad priscas Hungarorum sedes redeamus. Nomina Caucasi montis, Maeotis paludis et Tanais fluvii, tam antiqua, quam ipsa hominum memoria, vetustissimas et avitas Hunnorum, majorum Hungarorum, ibidem quoque sedes esse confirmant.

Cavcas (Καυκασος cum graeca terminatione) *) non aliud est, quam Hunnicum seu Hungaricum Káva-köz, i. e. quod *inter annulum* seu *circulum* significat. Annon Caucasus mons, annuli aut circuli instar nigrum inter et Caspium mare porrectus, plagam objacentem intercludit? **) — Maeotis, Herodoto Maeitis (Μαιητις)

*) Caucasus Russis et Armenis hodieque Kawkas dicitur. Vide Klaproth's Reise in den Kaukasus, 1ter Thl. p. 300. Ita etiam in Tabula Itineraria Antonini Pii, quae vulgo Peutingeriana audit, Cavcas scribitur.

**) Aliorum interpretationes vocabuli Caucas recenset Christophorus Rommel in Caucasiarum Regionum et gentium Strabonica descriptione, Lipsiae 1804. Excurs. I. p. 62. 63., cujus verba hic repetere non abs re esse putamus: „Nominis Caucasi" inquit „derivationem diverse exhibent veteres ac re-„centiores scriptores. Pseudo Plutarchus (de flu-„viis) narrat, pastoris Caucasi nomen a Jove mon-„ti inditum esse, antea Βορεου κοιτη appellato. Pli-„nius Scythis dictum esse tradit hunc montem Grau-„casus, h. e. nive candidus. Goropius Becanus vult „hoc esse Graugasus a Grau Gas, cana via, aut „potius Grauglasus dictum illum montem a Scythis „esse sibi persvadet, quod sit Glasberg. Bochartus „Caucasum derivat a Gog-Kasan (Gogi Munimen-

est Hungaricum seu Hunnicum Máj-tó i. e. jecoris lacus, cum graeca terminatione. Sic hodiernum Asovicum mare Hungaris seu Hunnis dicebatur, quod ejus ambitus jecoris formam referat. Denique Tanais cum graeca terminatione est Hungaricum seu Hunnicum Tanya, i. e. aqua tranquilla; fluvius enim hic, tranquillis undis lente movetur. *)

Hungarorum majores Hunnorum, Turcorum, Chazarorumque nomine apud Byzantinos, Arabicos et Syriacos scriptores venire, sole jam clarius est. Scriptores vero hos summa fide propterea dignos esse, quod eorum populares non vicini tantum his Hunnis sive Turcis fuerint, verum etiam jam amicitiam cum iis coluerint, jam hostes eos experti sint. Taceo testimonia annalium occidentalium, imprimis domesticorum, medio aevo conscriptorum, qui omnes uno ore Hungaros Hunnorum nomine insigniunt. Si vero Hunni et Hungari *Avarorum* quoque nomine ve-

---

„tum) cui jure adversatur Michaelis. Relandus Cau„casum explicat ex Persarum Cou Caf, ultima lit„tera ex more Graecis tralaticio in S mutata. Cou „(Cow) Persis montem designat, et Caf ille mons „orientalium fabulosus est, quem perhibent maxi„mum et ultimum et orbem terrarum circumeuntem. „A Cou Caf, quo nomine Persae et Arabes Cauca„sum designare soleant, etiam Pallas deducendum „esse autumnat Kawcass, (ita Russi,) Strahlenberg „a voce Slavonica Cauka, fabricam ferrariam signi„ficante, explicat Caucasum. Wahlius denique Cau„casum a Caucaspus dictum esse censet.“ Alias adhuc interpretationes suppeditabit Klaproth's Reise in den Kaukasus Thl. 1. p. 299—306.

*) Gr. Dankowszky's Fragmente zur Geschichte der Völker ungarischer und slawischer Zunge, 1tes Heft. p. 35.

niant, quo sensu *Avari* dicantur, paucis tantum heic adnotabimus.

Hunni Attilani exiguo temporis spatio famâ facinoribusque clari, ab Avaris supervenientibus sub jugum missi, iisque admixti, Avari subinde nominari coeperunt, non quod Avarica stirpe oriundi essent, sed quod Avarorum sibi imperantium nomen adoptare coacti fuerint. Ita quoque Avares in Pannonia ab Hungaris domiti, nomen suum amiserunt, et Hungari sunt dicti, imo Slavi quoque, quod Avaribus essent intermixti, Avarorum nomine veniebant. *)

Si Pray, Katona et reliqui summa laude digni viri, ab ovo usque ad mala Historiae Byzantinae volumina degustassent, profecto populorum illius aetatis claram cognitionem adepti, non tantam narrationum farraginem congerere coacti fuissent, quam nec ipsi in ordinem redigere poterant, nec ullus mortalium ex eorum scriptis unquam redigere poterit. Non dubii haesissent, an Avares sint progenies Hunnica, an Hungari iidem qui Avares; dum apud Eginhardum in vita Caroli M.: „*Avares* sive *Hunni*" vel apud Ditmarum Merseburgensem: „Ecce iterum *Avares* i. e. *Un-„gari* adversum nos arma commoverunt," legerent.

Pravum igitur consilium, quod rei periti nequaquam sequentur, impertitur res priscas Hungarorum scrutantibus Anonymus Y ajens: In pervestigandis Hungarorum historiis viam, quam Desericzky, Pray, Katona et alii triverant, esse repetendam. **)

*) Constantinus Porphyrogen. de admin. J. O. c. 29.

**) Szükség tehát ismét azon ösvényre viszsza térnünk, mellyet elöttünk törtenek Desericzky, Pray,

Cur et quo tempore Hungarorum majores avitam patriam deseruerint, e Constantini Porphyrogenneti narratione discimus.

„E Patzinacitarum gente, *) ii populi, qui „*Kangar* i. e. nobiliores cognominabantur, bello „adversus Chazaros moto, victi, terras suas de„serere, et Turcorum (seu Hungarorum) ditio„nem inhabitare coacti sunt. Ast bello inter „Turcos et Patzinacitas adparato, Turcorum „exercitus, clade affectus, bifariam divisus est, „cujus una pars ad orientem, in Persidis ditio„nem habitatum concessit, altera in Occidentali „plaga, una cum suo Voivoda et primario duce „(ἀρχηγῷ) *Léveddig* nomine in regione *Atelkuzu* „consedit, quae a fluvio *Atel* et *Kuzu*, eam inter„fluente, sic cognominabatur, ubi nunc Patzinaci„tarum populus (τῶν Πατζινακιτῶν ἔθνος) habitat **)

Jam expendamus narrationem Constantini. Patzinacitae teste Constantino (cap. 37.) habitabant ab initio ad Volgam et Jaikum (hodie etiam Ural) fluvios, habentes sibi conterminos Chazaros ad Tanaim habitantes et Uzos. Cum ostium Volgae, ad quam Patzinacitae habitabant, ab ostio Kumae, ad quam Hungarorum patres degebant, quinque duntaxat milliaribus distet, et cum Tanais, ad quem Chazari sedebant, ad occasum Volgae ruat, evenire debuit, ut Patzinacitae a Chazaris victi et in fugam acti, in vici-

Katona, Feszler, Salagyi, Dugonics, Kereszturi, 's más több nagy érdemü Tudósaink. Tudományos Gyüjtemény 1825. fasc. VI. p. 56.

*) Qui plura de Patzinacitis scire cupit, adeat opusculum mox citatum Fragmente etc. 1. Heft.

**) Constantinus Porphyrog. de administr. J. O. c. 38. et 40.

nam Hungarorum ditionem ad Kumam fluvium sitam illaberentur, ibique hospitium quaerere cogerentur. Nam Patzinacitae Chazaros adgressuri a Volga venerant, clade affecti et a Volga rejecti non potuere alias in plagas, quam in ditionem Hungarorum, quae Volgae et Tanai erat proxima, confugere, ab occasu enim obstabant Chazari, ad ortum mare Caspium et Volga, a qua erant abscissi, a borea premebantur per Chazaros, nec facile septemtrionem versus penetrare poterant; dum Tanaidis et Volgae alvei ad exiguam distantiam ad sese accedentes transitum per Chazaros custoditum inhibebant. Debuere igitur fugitivi Patzinacitae meridiem versus ad Kumam fluvium, qui Hungarorum ditionem interfluebat, properare et apud Hungaros salutem quaerere.

Si Kimász fluvius non hodiernus Kuma, sed sicut Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény absque omni fundamento suspicatur, hodiernus Donetz est, ad quem idem Anonymus avitas Hungarorum sedes ponit, Patzinacitae a Chazaris fugati, aut per Chazarorum suorum victorum terram, aut per mare Asovicum transire, aut denique in septemtrionem evagari et iterum meridiem versus deflecti debuissent, ut ad Hungarorum, ad Donetz fluvium degentium ditionem devenirent. Si Anonymus Recensens exemplaria graeca versavisset manu diurna, versavisset nocturna, profecto non adeo hallucinatus fuisset, nec Hungarorum sedes avitas ad Donetz fluvium collocavisset.

Inopinata haec Patzinacitarum irruptio, tam funesta Hungarorum majoribus fuit; ut patriam avitam deserere coacti fuerint. Septem stirpes a Kuma fluvio meridiem versus ad mare Caspium, in

plagam, quae a fluviis *Atel* et *Kuzu* irrigatur et 25 circiter milliaribus a Kuma distat, recesserunt; reliquae stirpes per portas Caucasias in Persiam se contulerunt. Hoc autem accidit initio saec. IX.; nam Theophilo imperante (829 — 842.) Hungari ad sinistrum Danubii littus in Moldavia jam comparent. *)

Cum hi duo fluvii hodieque eadem nomina gerant, nomine enim *Atala* et *Koisu* Geographiae peritis sunt notissimi, de secundis his Hungarorum sedibus nullum dubium existere potest.

Antequam historiam de ortu et initiis Constitutionis Hungaricae, cujus fundamenta in *Atel-kuzu* jacta sunt, texamus, juvat priorem Hungarorum statum conditionemque e fide dignis testimoniis illustrare.

Procopius et Agathias scriptores saec. VI. de gente *Závár*, cujus ramum Hungarorum majores constituebant, sic referunt: „Gens Závár est maxima, belli studiosissima, pugnacissima et prompta, in multas ditiones (ἀρχὰς) rite divisa, quarum Úrok i. e. domini (κύριοι apud Theophanem et Nicephorum Constantinopolitanum **) alii Romanorum imperatori, alii Persarum regi inde ab antiquo aevo sunt amici. ***)

Inter Hunnorum Závár ditiones eam regionem, quam Kuma fluvius permeat, *Ug-Úré* seu complete *Hunn Ug-Úré* Hungarorum majores, tenebant, ut superius vidimus; et erant divisi in septem stirpes (γενεὰς) quae ante Arpadi electio-

*) Leo Grammaticus p. 366.

**) Theophanes Chr. p. 210. Nicephor p. 18.

***) Vide Procop. de bello Pers. I. 15. de bello Gothico IV. 11. Agathiam scholast. IV. p. 85. Greg. Dankovszky Hungarae gentis avitum cognomen etc. p. 13.

nem, principi, qui in eas simul omnes imperium haberet, sive indigenae, sive alienigenae nunquam parebant; sed singulis erant duces, qui Voivodorum dignitate pollebant, inter quos primus fuit Léveddig Ur i. e. cujus ditio usque ad paludem extendebatur. *)

Quibus praemissis vim et genium constitutionis Hungaricae, a suis majoribus conditae, facili negotio intelligemus.

Vix majores Hungarorum septem stirpibus constantes, post cladem a Patzinacitis Kangar acceptam, avita ad Kumam fluvium patria deserta, ad fluvios Atel et Kuzu mare Caspium inter et Caucasum montem consederant, reliquis stirpibus in Persiam profectis; dum Chaganus, „Chazariae imperans, iis significat, ut *Léveddig* primum eorum ducem navi ad se mittere velint; „*Léveddig* quippe jam antea ob fortitudinis gloriam „et generis illustritatem, atque ob Hungarae gen„tis fortitudinem et belli societatem (*συμμαχίαν*) „nobilem Chazaram a Chagano in uxorem acce„perat. *Léveddig* igitur, postquam ad Chazariae „Chaganum pervenit, interrogat, quam ob cau„sam se arcessiverit. Cui ille: Ideo te vocavimus, „ut, qnandoquidem nobilitate, prudentia et for„titudine praestas et primus Turcorum (Hunga„rorum) es, te gentis tuae imperantem constitua„mus, et ut verbo et mandato nostro morem ge„ras. **) Ad quae Chagano Léveddig sic respon„dit: Tuam erga me affectionem et praelationem

*) Constant. Porph. de a. J. O. c. 38. *Βοέβοδοι τινὲς. τὸ τινὲς* vim habet; qui speciem et dignitatem Voivodorum referebant.

**) *Ἄρχοντα σε τοῦ ἔθνους σου προβαλώμεθα, καὶ ἵνα ὑπείκῃς τῷ λόγῳ καὶ τῇ προστάξει ἡμῶν.* Const. Porph. op. cit. cap. 38.

„magni facio, et condignas gratias tibi refero; „cum vero impar sum tali imperio, non possum „tibi obsecundare. Ast potior est alter a me dux, „qui dicitur Álmos, (Ἀλμούτζης) cui filius nomine „Árpad. Ex his potius, sive ille Álmos, sive ejus „filius Arpad fiat imperans.(ἄρχων) et verbo tuo mo„rem gerat. (καὶ ἐστίν ὑπὸ τοῦ λόγου ὑμῶν) In quo re„sponso Chaganus ille acquiescens, viros Léved„dig adjunxit, et ad Turcos delegavit. Turci „(Hungari) colloquio cum Chazarorum legatis hac „de re habito, maluerunt Arpadem, utpote virum „praestantiorem, prudentiae, consilii et fortitu„dinis studiosissimum, atque ad talem dignitatem „idoneum fieri imperantem, (γενέσθαι προέκριναν ἄρ„χοντα) potius, quam Álmos ejus patrem. Quare „Arpadem in scuto elevatum, Chazarorum more „consvetudineque Imperantem crearunt (ἄρχοντα „πεποίηκασι.) Ante hunc vero Arpadem Turci alte„rum Imperantem nullum unquam habuerunt; ex „eo vero tempore usque ad hodiernum diem, ex „hujus Arpadis progenie Imperans Turciae (Hun„gariae) constituitur (ἐξ οὗ καὶ μέχρι τῆς σήμερον ἐκ τῆς „τούτου γενεᾶς ἄρχων Τουρκίας καθίσταται) Hactenus Con„stantinus Porphyrogennetus, cujus narratio est „expendenda.

Perbene perspexerat Chazariae Chaganus sibi emolumenti plurimum accessurum, si Hungari ejus foederati, unius imperio parerent, de cujus rei certitudine eum quoque nupera Hungarorum clades a Patzinacitis accepta, abunde edocuerat. Nec minus Hungarorum majores, septem duntaxat stirpibus, reliquis in Persiam profectis, constantes, intellexerunt, sibi plus roboris adfore, si unius voluntati obtemperarent, nupera strage id experti, quod Plutarchus de Sciluro narrat: Scilurus, ait, octoginta filios habuit: Dum su-

premum diem obiturus erat, filiorum singulos jaculorum fasciculum jubet confringere. Dum eorum nullus hoc praestare posset, ipse singulis jaculis, e fasciculo depromptis, aliud post aliud facili negotio confregit, docens eos unitos solidos permansuros, dissolutos vero debiles futuros esse. Chazariae igitur Chaganus, ut, quod intendebat, facilius ab Hungarorum majoribus obtineret, Léveddig virum inter suos populares maxime conspicuum sibique addictum ad supremam dignitatem evehendum optat. Quamobrem ad liberam nationem Hungaram legatos mittit, qui ejus desiderium cum Léveddiga, viro inter reliquos duces eminente, de re aliqua gravi colloquendi ad gentem Hungaram perferant. Hungarorum patres Chagani sibi foedere et amicitia juncti, votis adnuere eo magis, quod, si unquam, profecto nunc avita patria a Patzinacitis extrusi, Chazarorum ope indigerent. Itaque Léveddigam ad Chaganum dimittunt. Qui Chagani mente intellecta, se tantae dignitati gerendae imparem esse pronuntiat, simulque Álmos aut Arpad duces ab Hungaris huic supremo muneri praeficiendos Chagano commendat. Léveddigae consilium Chagagano quidem placet, dubius tamen animi est, an Hungari suis votis sint obsecundaturi. Quare legatos Chazáros Léveddigam comitantes ad gentem Hungaram mittit. Hungari colloquio cum legatis habito, Arpadem imperantem eligunt.

Occasio Hungarae Constitutionis condendae.

Hungarorum avi, hactenus per stirpes (γενεὰς) *) a se liberas distributi, quarum singulis

*) Const. Porph. A. J. O. c. 38.

Ur i. e. dominus (κύριον, ἄρχοντα, ἡγέμονα vocitant Graeci) praeerat, nunc clade a Patzinacitis accepta, ad septem stirpes redacti, unionem civilem ad Chazarorum exemplar ineunt, ita ut cessante singulis stirpibus praefectorum (Urok) potestate, *) tota gens unius imperio subsit, **) cujus unionis civilis condendae Chaganus, supremus dominus Chazariae †) svasor fuit. Is Léveddigae inter stirpium Hungararum duces, maxime conspicuo, Chazarorumque genti ob uxorem Chazaram sibi matrimonio junctam imprimis studenti, persvadere conatur, ut summum gentis imperium in se suscipere velit. ††) Cui gravi onerosoque muneri dum Léveddig se imparem esse declarans, Álmosum aut Arpadem hac dignitate potius condecorandum pronuntiat, Chazariae Chaganus legatos cum Hungarorum patribus hac de re acturos ad gentem mittit.

Regio memoratu digna; ubi Hungarorum septem stirpes cum totidem ducibus, in unam nationem sub unius imperio constituendam solemniter se uniunt.

Ad Atel et Kuzu fluvios, mare Caspium inter et Caucasios montes, est illa in aeternum memorabilis plaga, in qua septem Hungarae stirpes arctiori nationis vinculo sese conjungentes in Ar-

---

*) Αἱ δὲ ὀκτὼ γενεαὶ τῶν Τούρκων αὗται πρὸς τοὺς οἰκείους ἄρχοντας οὐχ ὑπακούουσιν. Const. c. 40.

**) Ἄρχοντά σε τοῦ ἔθνους σου προβαλώμεθα. Const. c. 38.

†) Ὁ Χαγάνος ἐκεῖνος ἄρχων Χαζαρίας. Const. c. 38.

††) Ἄρχοντα σε τοῦ ἔθνους σου προβαλώμεθα. Const. c. 38.

padum, ejus filios, supremosque nepotes, rerum summam transferunt, quod in regione ab Atel et Kuzu fluvio cognominata, testante Constantino Porphyrogenneto, in Scythica terra trans Maeotim paludem et Tanaim fluvium, ortum versus, narrante Anonymo Belae regis Notario, evenit. Constantinus Porphyrogennetus hunc terrae tractum, accurate per fluvios eum permeantes designat, Anonymus vero, ubi civili unione septem stirpium inita, egressum Hungarorum narrat, eundem locum indigitat ajens: *)

„Anno Dominicae Incarnationis 884., septem „principales personae, egressi sunt de terra Scy„thica versus occidentem. Venientes autem dies „plurimos per deserta loca, et fluvium Etyl, su„per Tulbou sedentes, ritu paganismo transna„taverunt, et nunquam viam civitatis vel habita„culi invenerunt, nec labores hominum comme„derunt, ut mos erat eorum, sed carnibus et „piscibus vescebantur, donec in Rusciam, quae „Susudal vocatur, venerunt. Et juvenes eorum „fere quotidie erant in venatione. Et sic Almus „dux, cum omnibus suis venientes, terram intra„verunt Rusciae, quae vocatur Susudal.“ Et mox **) idem: „Postquam autem ad partes Ruthenorum „(Russorum) pervenerunt, sine aliqua contradi„ctione, usque ad civitatem Kyeu (Kioviam) tran„sierunt, et dum per civitatem Kyeu transiissent, „fluvium Denep (Dnepr) transnavigando, volue„runt regnum Ruthenorum sibi subjugare.“ Idem Nestor, scriptor Russicus testatur inquiens: Anno mundi 6406 praetergressi sunt *Ugre* (nomi-

*) Anonymus Belae Regis Notarius cap. 7.

**) Anonymus cap. 8.

nativus pluralis ab *Ugor*) Kioviam, a monte venientes, qui vocatur *Ugor'skoje*. Et venientes ad *Danaprim*, cum curribus substiterunt; nam eodem, quo Polovtzi, modo proficiscebantur. Et venerunt ab Oriente, et proruperunt se per magnos montes, qui *Ugor'skija* vocantur; et incoeperunt dimicare adversus hic degentes. *)

Montes Ugor'skija esse Caucasios, ipse Nestor alio loco declarat, ajens: „Mare nigrum versus ad plagam ejus borealem est *Danubius* et Caucasii montes, qui Ugor'skija vocantur." **) Annon ex una parte borealibus maris nigri undis Danubius ab occidente veniens unitur, et utrum non e regione Danubii Caucasii montes ab ortu porrecti ad boream maris nigri terminantur? — Ast hoc cel. Schlözer non potuit concipere; quapropter per Ugor'skija montes Carpathos intelligendos esse sibi persuasit. An Hungari ad Danaprim ab Oriente Nestore testante venientes a Carpathis montibus venerunt?

Quam accuratam rei notitiam Nestor habuerit, inde apparet. Atel et Kuzu fluvii, ad quos Hungarorum majores a Kuma repressi habitabant, inter Caucasios montes ruunt. Apprime igitur dicit Nestor, Hungaros per Caucasios mon-

---

*) Vlieto 6406 idosza Ugre mimo Kijev *goroju*; jeshe zovetsia Ugor'skoje. I priszedsze kDnepru, stasza veshami, biesza bo chodiascze jako i Polovtzi. I priszedsze ot Vostoka, i ustremiszas czres gory velikija, jashe prozvaszas gory Ugor'skija; i poczasza vojevati na shivusczája tu. Nestor annal. Russ. P. III. c. 9. p. 107. editione Schlözeriana.

**) Pont'skago moria na polunoscznyja strany, Dunaj, i Kavkasijskyja gory, reksze Ugor'skija. Nestor l. c. P. I. c. 24.

tes, quos Russi Ugor'skija vocant, se prorupisse. Ugor'skija vero Russi Caucasios montes appellant, quia ad eos Hungari, quos Russi Ugre a singulari Ugor, Ug-Úr contractum ex Ugek-Úr appellant, habitabant.

Anonymus dicit Hungarorum majores, duce sibi electo e Scythica terra *occidentem* versus progressos, Nestor eos ab oriente de Caucaso monte, qui Ugor'skoje vocatur, venisse, et uterque ipsos longo itinere confecto, ad Kioviam urbem, Danaprimque fluvium penetrasse. Annon Atel et Kuzu fluvii, Caucasusque mons, annon mare Caspium, ad Kioviae et Danapris ortum situm est? — Ast de re tot tantisque testimoniis evicta, taedet amplius disputare; id solum mirari non desino, quomodo fieri potuerit, ut viri aetatem in scrutandis Hungarae gentis historiis transigentes, adeo absona hac de re asserere potuerint.

Clarissimus Pray *) Atel et Kuzu fluvios in hodiernam Valachiam; Stephanus Katona **) in Moldaviam relegant, Joh. Christ. ab Engel †) nullo testimonio adducto dictatoris instar pronuntiat: „Danastrim fluvium tum nomine Atel venisse, et Arpadum in inferiore Ukraena et Moldavia a Chazarorum Chagano! Magyarorum principem et regentem (Fürsten und Regenten der Magyaren) creatum fuisse scribit.

Si celeberrimus Engel Constantini Porphyrogenneti unicum duntaxat caput, videlicet 38um, ubi in regione ab Atel et Kuzu fluviis Atelkuzu

---

*) Pray Annales V. p. 307.

**) Steph. Katona Hist. crit. P. I. p. 125.

†) J. C. von Engel Geschichte der Ungarn p. 56.

cognominata, Arpad per Hungarorum majores electus fuisse perhibetur, si, inquam, celeberrimus Engel hoc unicum caput legisset, et Anonymi caput V. et VI. ubi de electione Almi ducis, et caput VII. in quo de Hungarorum egressu agit, obiter inspexisset, profecto regionem Atel Kuzu non in Ukraena inferiore et Moldavià posuisset, nec Danastrim fluvium tunc nomine Atel venisse temere pronuntiasset, si Constantini cap. 42. inspexisset, ubi Danastris et Danapris disserte commemorantur. Advertisset enim Atelkuzu plagam, in qua Arpadi electio peracta fuit, non posse in oris, quae Danapri fluvio magis occidentales sunt, sitam esse; cum Hungari electione Arpadi peracta et longo itinere confecto, tandem ad Kioviam urbem et Danaprim fluvium penetrarunt, ut Anonymus et Nestor testantur et Constantinus Porphyrogennetus narrat. Nec admodum acri oculo opus habuisset clarissimus ille vir, ut perspiceret, Atelkuzu regionem, in qua Arpad summam rerum est consequutus, in terrae tractibus ad ortum Kioviae urbis et Danapris fluvii sitis alicubi quaerendam esse; cum Anonymus Hungaros electione ducis peracta occidentem versus, Nestor eosdem ab oriente de monte Ugor'skoje seu Caucaso progressos, uterque Kioviam et ad Danaprim penetrasse, et trajecto Danapri bellum contra Slovenos ibi degentes movisse testantur. Constantinus Porphyrogennetus quoque Hungarorum majores Atelkuzu derelicta, ad plagas in occidentali Danapris littore sitas, et per Baruch, Kubu, Trullum, Seretum et Prutum fluvios designatam, hinc in hodiernam Bessarabiam et Moldaviam, quas aetate Constantini Porphyrogenneti Patzinacitae tenebant, concessisse, ibique morantes,

a Leone Sapiente Imperatore suo patre contra Simeonem Bulgarorum regem evocatos fuisse, dissertis verbis enarrat.

Si nomina Atel et Kuzu fluviorum interea temporis interiissent (a Constantini scribentis aetate 866. anni hodie completi sunt,) difficilius foret, regionem, in qua Hungarae Constitutionis fundamenta jacta erant, accurate determinare; cum vero secundissima fortuna horum fluviorum nomina (Atala et Koisu hodie sonant) in viva et scripta mortalium voce vigeant, nemo nisi contradicendi prurigine lacessitus, negare poterit, Atelkuzu plagam mare Caspium inter et Caucasios montes coarctatam esse, ubi Hungarorum patribus placuit, Árpadem summa potestate ornatum sibi praeficere, et simul intelligitur, quomodo Chazariae Chaganus Hungarorum majoribus nuntiare potuerit, ut Léveddigam navi ad se mittere velint. Ex Atelkuzu quippe brevissima via per mare Caspium potuit penetrare Léveddig ad Chazaros, qui plagas ad ortum Tanaidis fluvii et Asovici maris sitas, ad Volgam usque inhabitabant. *)

*) Rem hanc melius nobis explicat Anonymus Recensens in Tudományos Gyüjtemény Fasc. II. anni 1826., qui ait Léveddigam a Chazariae Chagano ad urbem Chelandiam evocatum fuisse. Tanti errores committuntur a viris, qui graecarum literarum periti videri volentes, pravis versionibus latinis utuntur. Chelandia enim non est nomen urbis, ut mala versio latina exhibet, sed Chelandia graecis Byzantinis naves dicuntur, quod Anonymus Recensens vel ex cap. VIII. et IX. Constantini Porphyrogenneti discere potuisset, si ex Theophanis Chronographia p. 251. et 299. Cedreni p. 36. reliquisque

At vero Fesslerus, qui ad Volgam in prisca Hungarorum patria degere gloriatur, optime nos de loco, in quo patres Hungarorum Arpadem sibi praefecerunt, edocere poterit.

Cum magna prosopopoeia ille in fingendo et pingendo eminentissimus scriptor, oraculi instar sic profatur: *)

„Ducentos et amplius annos Magyari in Basch„kiriae desertis, inter Tscheremissos, Wotjakos, „Syraenos, Permios et Wogulos cum gregibus „suis oberraverant, et fortassis hodie adhuc in „plagis illis degerent, non minus rudes, hebetes, „inertes et pauperes, quam supra nominatorum „populorum praedatoriae catervae, si, ut hi, a „fera Finnorum gente originem traxissent. Non „penuria, non vi externa, sed interno vigoris im„petu ad novam peregrinationem suscipiendam „nunc urgebantur."

„Anno octingentesimo octogesimo quarto, „dum Carolus Crassus, iterum Autocrator Gallia-

Byzantinis vocis Chelandia vim sibi notam reddere piguit. Et amabo, velit nos Anonymus Recensens edocere, ubi locorum urbs nomine Chelandia sita fuerit. Cur Anonymus Recensens, dum eum ex labyrintho, quem Pray, Katona, Engel et Fefsler, aliique condiderunt, Ariadnae instar educturus eram, me sequi noluerit, et Atelkuzu ad Danubium, Chidmas fluvium ad minorem Tanaim (Donetz) (ac si a Donetz amne usque Kioviam urbem et Danaprim fluvium tanta distantia esset, ad quam conficiendam longo tempore Hungarorum majores teste Anonymo Belae indiguerant, ponere maluerit, ignoro.

*) Fessler die Geschichten der Ungarn. Tom. I. pag. 228. seqq.

„rum regni esset, in magna Moravia Sviatopolk, „in Bulgaria Symeon, Kioviae et Novogorodi „Oleg; et in Imperio Byzantino Leo cognomine „Sapiens, regnaret, cujus frater Stephanus, qua „Patriarcha Orientalem, Hadrianus III. Pontifex „occidentalem Ecclesiam regeret, et Achmed Al „Mohamed Caliphatu potiretur; septem stirpes „Magyarici populi inter Camam fluvium, et pro- „montorium Baschkirici Ural congregatae sunt. „Eorum Duces Alom, Lebed, Ondu, Tosu, Hu- „ba et Tuhutum, promulgato iisdem ulterioris „peregrinationis decreto, ad ducem e suo me- „dio eligendum se contulerunt. Alom filius Ugyeki „et Emesae hac dignitate est condecoratus."

Hactenus Fesslerus. Non igitur Bogum inter et Seretum fluvios, seu in hodierna Moldavia et Bessarabia amplius est regio Atelkuzu, prout celeberrimus Fesslerus alibi asserit, *) sed est iterum ad limites Siberiae in Baschkiriae desertis; nam Arpad ab Hungarorum patribus in Atelkuzu est electus testante Constantino Porphyrogenneto. Baschkiria porro a Chazaria ducentis et amplius milliaribus distat; Fesslero, qui tantas terras peragravit, vicina Chazariae esse adparet, Hungarorum enim majores testante Constantino Porphyrogenneto tunc penes Chazariam degebant. Sed fortassis Léveddig a Chazariae Chagano accersitus navicula aërostatica vectus in Chazariam advolavit, et legati a Chagano una cum Léveddig ad Hungarorum patres missi, alis Icariis instructi huc illuc volitabant. Adeo absurda comminiscuntur, qui multa, non multum scribunt.

*) Fessler die Geschichten der Ungarn. Tom. I. p. 247.

Auctor Anonymus dissertationis „A' Magyarok' régi lakhelyeiről Próbatétel" *) agnoscit jam quidem Hungarorum majores olim ad Kumam fluvium habitasse, ab inveterato vero altero errore, quo Atelkuzu in Bessarabia et Moldavia esse statuitur, nondum est liberatus, sed cum suis antesignanis adserit, plagam inter Baruch fluvium, quem falso Bogum esse putat, (Constantinus enim Porphyrogennetus disserte cap. 42. Bogum (Βογοῦ) commemorat) Kubu, Trullum, (Dnestr) Prutum (Prut) Seretum (Seret) sitam esse Atelkuzu, et ideo hanc Atelkuzu, quasi Vizköz i. e. inter aquam dictam fuisse ab Hungaris. Ast ex Constantini verbis manifeste adparet, Atel et Kuzu esse nomen proprium fluvii, non vero adpellativum. En ipsa ejus verba: „Regio vero, in qua prius Tur-„ci erant, vocatur juxta nomen fluvii Etel et Ku-„zu, qui ibi transit." **) Si Atelkuzu seu Etelkuzu idem esset ac Atelköz vel Vizköz, profecto conjunctio *καὶ*, *et*, inepte in medio staret; sed per istud interjectum *et* Constantinus nomina duorum diversorum fluviorum indicat; omittit vero illud *et*, dum nomen regionis, ab his duobus fluviis cognominatae commemorat ajens: „habitatum „concessit pars Hungarorum in loca, quae Atel-„kuzu cognominantur." †) Porro si Atelkuzu esset una eademque regio cum plaga inter Baruch, Kubu, Trullum, Brutum et Seretum fluvios com-

*) In Tudományos Gyüjtemény 1825. Fasc. VI.

**) Ὁ δὲ τόπος ἐν ᾧ πρότερον οἱ Τοῦρκοι ὑπῆρχον, ὀνομάζεται κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ ἐκεῖσε διερχομένου ποταμοῦ Ἐτὲλ καὶ Κουζοῦ. Const. Porphyr. cap. 40.

†) Κατῴκησε εἰς τόπους τοὺς ἐπονομαζομένους Ἀτελκούζου. Const. Porphyr. cap. 38.

prehensa, seu hodierna Bessarabia esset, uti Anonymus noster cum suis primipilis contendit; profecto Constantinus non opus habuisset illam ab hac distiguere, dum scribit: „Locus, in quo „tunc temporis habitabant Turci, vocatur juxta „nomen fluviorum, qui ibi sunt; fluvii vero sunt „hi: fluvius primus, qui vocatur *Baruch*, fluvius „secundus, qui dicitur *Kubu*, fluvius tertius, qui „nominatur *Trullus*, fluvius quartus, qui appella„tur *Brutus*, fluvius quintus, qui nuncupatur *Se„retus*." *)

Regionem igitur, quae ab Atel et Kuzu nomen habet, a plaga, quae a Baruch, Kubu, Trullo, Bruto et Sereto cognominatur, diversam esse, in aprico est. Caeterum regiones tam frequenter incolas mutantes, optime per fluvios notas reddidit purpuratus scriptor.

Arpadi electio.

Léveddig legatis Chazaris comitantibus ad suos in Atelkuzu revertitur: Turci (Hungarorum patres) colloquio cum Chagani Chazariae legatis habito, Álmos postposito, Arpadem ejus filium Imperantem (ἄρχοντα) creant, eumque Chazarorum more in scuto elevatum, supremae potestati gerendae consecrant, **) qui mos hodieque in inaugurandis supremis Comitibus, in Hungaria viget.

---

*) Ὁ τόπος, ἐν ᾧ τῷ τότε καιρῷ κατῴκησαν οἱ Τοῦρκοι, καλεῖται κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τῶν ἐκεῖσε ὄντων ποταμῶν· οἱ δὲ ποταμοὶ εἰσὶν οὗτοι· ποταμὸς πρῶτος ὁ καλούμενος Βαρούχ· ποταμὸς δεύτερος ὁ καλούμενος Κουβοῦ· ποταμὸς τρίτος ὁ καλούμενος Τροῦλλος· ποταμὸς τέταρτος ὁ καλούμενος Βροῦτος· ποταμὸς πέμπτος ὁ καλούμενος Σέρετος. Const. Porphyr. cap. 38.

**) Const. Porphyr. cap. 38.

Si Joannes Christianus ab Engel Constantini Porphyrogenneti verba: „Colloquio cum legatis „Chazaris habito, Turci (avi Hungarorum) sen„tentiam tulere, ut potius Arpad, quam Almos, „ejus pater fieret imperans, quia Arpad dignior, „prudentia, consilio et fortitudine expeditissimus, „et ad talem dignitatem idoneus esset, quem etiam „Chazarorum more in scuto elevatum imperantem „crearunt *)" si, inquam, Engel haec legisset, profecto non scripsisset: „Der Chan der Chazaren „wählte Arpád, liefs ihn nach chazarischer Sitte „auf Schildern emporheben, und *proclamirte* ihn „zum Fürsten der Ungarn" i. e. „Chazarorum „Chaganus Arpadem elegit, eumque Chazarorum „more in scuto elevatum, Hungarorum principem „proclamavit." **) Neque vero celeberrimus Engel Anonymi Belae regis Notarii verba videtur legisse ajentis: „Ergo libera voluntate et commu„ni consensu septem virorum elegerunt sibi du„cem et praeceptorem, in filios filiorum suorum, „usque ad ultimam generationem."

Hungari enim erant liberi, nequaquam Chazaris subjecti, prout Engel †) et Gustermann ††) falso adserunt. An *foederati* (συμμχοῦντες) iidem

*) Μᾶλλον οἱ Τοῦρκοι τὸν Ἀρπαδὴν γενέσθαι προέκρειναν ἄρχοντα, ἤπερ Αλμουτζ τὸν αὐτοῦ πατέρα, ὡς ἀξιολογώτερον ὄντα καὶ περισπούδαστον ἐν τῇ φρονήσει καὶ βουλῇ καὶ ἀνδρείᾳ, καὶ ἱκανὸν πρὸς τὴν τοιαύτην ἀρχήν· ὃν καὶ ἄρχοντα κατὰ τὸ τῶν Χαζάρων ἔθος καὶ ζάκανον πεποιήκασιν σικώσαντες αὐτὸν εἰς σκούταριον. Const. Porph. c. 38.

**) Engel, Geschichte des Ungrischen Reichs p. 57.

†) Engel, Geschichte des Ungrischen Reichs p. 54.

††) Gustermann's Ausbildung der Verfassung des Königreichs Ungarn pag. 13.

sunt ac *subjecti?* An amicitia foedere stabilita (συμμαχία) *servitus* est? Gustermannus quidem provocat ad Constantini verba, quorum genuinus hic est sensus: „Et Turci erant septem stirpes, virum, qui suprema potestate iis praeesset, sive „indigenam sive alienigenam (ante Árpadum) nunquam habuerunt; sed erant inter eos duces, qui „dignitate Voivodis erant similes." *) Verbi ὑπάρχειν vim Gustermannus vel non intellexit, vel intelligere noluit, ut jam superius adnotavi, verbum enim ὑπάρχειν „imperio alicujus subesse" ut Gustermaunus vult, nunquam significat.

Nec obstant Hungarorum libertati verba, quae Chaganus Chazariae ad Léveddig ad se accersitum facit, narrante Constantino Porphyrogenneto ajens: „Ideo te vocavimus, ut, quandoquidem nobilitate emines, prudens, fortisque es, „et Turcorum primus, te gentis tuae imperantem „proponamus, et ut cedas verbo et ordinationi „nostrae." **) Verbo et ordinationi cedere, morem gerere, non significat alicujus imperio subesse, sed consiliis alicujus non adversari, quin potius ad ea promovenda collaborare, uno verbo, ejusdem causae amicum et addictum, foederatum esse. Non igitur recte Engelius Constantini haec verba intellexit, dum scribit: „Es beschloſs der

*) Καὶ οἱ μὲν Τοῦρκοι γενεαὶ ὑπῆρχον ἑπτὰ, ἄρχοντα δὲ εἰς αὐτοὺς εἴτε ἴδιον εἴτε ἀλλότριον ποτὲ οὐκ ἐκτήσαντο, ἀλλ' ὑπῆρχον ἐν αὐτοῖς βοέβοδοι τινες. Const. Porph. c. 38.

**) Ὅτι διὰ τοῦτο σε προσεκαλεσάμεθα, ἵνα ἐπειδὴ εὐγενὴς καὶ φρόνιμος, καὶ ἠνδρειωμένος ὑπάρχεις, καὶ πρῶτος τῶν Τούρκων, ἄρχοντα σε τοῦ ἔθνους σου προβαλώμεθα, καὶ ἵνα ὑπείκῃς τῷ λόγῳ καὶ τῇ προστάξει ἡμῶν. Constant. Porph. p. 38.

„Chan der Chazaren, den bisherigen Stammfür-
„sten und Ober-Anführer Lebedias zum Fürsten „und Regentem der Magyaren zu erheben, ihm „aber auch den Eid der Treue gegen die chaza-„rische Majestät abzufordern.“ i. e. „Chazarorum „Chaganus decrevit Lebediam, qui hactenus su-„premus dux erat, ad principis et regentis digni-„tatem evehere, eumque simul ad fidelitatis sa-„cramentum chazareae majestati nuncupandum „adigere.“ *)

Legati a Chazarorum Chagano ad majores Hungarorum missi, id tantum negotii, Constantino narrante, habuerunt, ut ex sententia Léveddig ducis et Chagani adprobatione, aut Álmosum aut Arpadem, suprema in omnes stirpes potestate condecorandum, Hungarorum patribus proponerent, qua super re consiliis collatis Hungarorum patres liberis suffragiis Arpadem elegerunt.

Ast Anonymus Belae regis notarius non Arpadem, sed Álmosum patrem ejus electum fuisse, narrat, qua in re Constantinus Porphyrogennetus ducentis et amplius annis Anonymo antiquior, eo fere tempore, quo Hungarorum majores cum Arpade ex Moldavia in Pannoniam habitatum concesserant, in lucem editus, et cujus patri Leoni Sapienti Arpad contra Simeonem Bulgarorum regem foedere junctus erat, majore fide, ubi ab Anonymo discrepat, mihi dignus esse videtur. Probabile fit Anonymum, prima propositione, quae inter fundamentales Constitutionis Hungaricae leges continetur, seductum fuisse, ut putaret Álmosum ab Hungarorum patribus fuisse electum. Propositio autem haec apud Anony-

*) Engel, Geschichte des Ungrischen Reichs p. 57.

mum sic expeditur: „Ut quamdiu vita duraret, „tam ipsis, quam etiam posteris suis semper du- „cem haberent, de progenie Almi ducis.“ *) Verba „de progenie Almi“ Anonymo ansam videntur praebuisse ut crederet, Almum ab Hungarorum patribus fuisse electum. Ast Arpad fuit filius Almi seu Almosi, recte igitur in propositione illa dicitur, „de progenie Almi.“

Hungarae Constitutionis leges fundamentales.

Septem stirpes (γενεαὶ ἑπτὰ) antea a se liberae, laxo cognationis vinculo duntaxat colligatae, singulae ducibus suis parentes, nunc civili unione in unam gentem (ἔθνος) coalescunt, et sibi unum dominum in persona principis Arpadis praeficiunt, legibus fundamentalibus sequentibus sancitis:

I. Arpad gentis caput primum esto, a' nemzetség' első feje, fejedelem; sic enim nomina haec Constantinus graece reddit: „κεφαλὴ πρώτη ὁ ἄρχων.“ **)

II. Stirpes suorum propriorum ducum imperio non amplius subjectae sunto. Id quod his verbis Constantinus declarat: „Hae octo stirpes Turcorum“ (septem quippe Hungarorum stirpibus octava Kábarorum adsociata) „popularibus „ducibus obsequia non praestant, sed ratione flu- „viorum in eo unanimitatem fovent, ut in quam- „cunque plagam bellum ingruat, cum omni cura

*) Anonymus Belae cap. 6.

**) Const. Porphyr. cap. 40.

„et studio, adversus hostes, opes suas conferant." *) Olim quippe, antequam Hungarorum majores, sub unius imperio in unam gentem coaluerant, quaevis stirps populari suo duci obsequebatur, eumque in bellum, quo ipse volebat, sequebatur, dux quoque propriae duntaxat stirpis commodo utilitatique potissimum studebat; nunc vero stirpes sub unius sceptro consociatae non amplius privatum, sed commune omnium bonum, cum omni sollicitudine et alacritate quaerunt.

III. Successio in throno maneat penes Arpadi prosapiam in sempiternum, et quidem ordine naturali sibi succedant:

Propositionem hanc Constantinus his declarat verbis: „Primum caput eorum (Hungarorum) „est ille princeps, qui ex Arpadi prosapia juxta „successionem ordine naturali descendit," **) et „ante Arpadem principem alium nunquam ha„buerunt Turci, (Hungari) ab eo autem tempore „usque hodiernum diem e prosapia hujus (Ar„padi) princeps Turciae (Hungariae) constitui„tur." †)

Quid per illud: „juxta successionem, (κατ' ἀκολουθίαν") Constantinus intelligat, quivis videt;

*) Αἱ δὲ ὀκτὼ γενεαὶ τῶν Τούρκων αὗται πρὸς τοὺς οἰκείους ἄρχοντας οὐχ ὑπακούουσιν, ἀλλ' ὁμόνοιαν ἔχουσιν εἰς τοὺς ποταμοὺς, εἰς οἷον μέρος προβάλλει πόλεμος συναγωίζεσθαι μετὰ πάσης φροντίδος τε καὶ σπουδῆς. Const. Porphyr. cap. 40.

**) Ἔχουσι δὲ κεφαλὴν πρώτην τὸν ἄρχοντα ἀπὸ τῆς γενεᾶς τοῦ Αρπαδῆ κατὰ ἀκολουθίαν. Const. Porphyr. c. 40.

†) Πρὸ δὲ τοῦ Αρπαδῆ ἄρχοντα ἕτερον οἱ Τοῦρκοι οὐκ ἐκτήσαντο πώποτε· ἐξ οὗ καὶ μεχρὶ τῆς σήμερον ἐκ τῆς τούτου γενεᾶς ἄρχων Τουρκίας καθίσταται. Const. Porphyr. cap. 38.

ast etiam ex eo, quod de succedendi ordine et norma apud Patzinacitas observata idem Constantinus narrat, illustratur. Ait autem: „Patzi„nacitis est lex, et norma antiqua apud eos obti„net, ut non liceat ad filios aut eorum fratres di„gnitates transmittere, sed qui gubernacula te„nent, durante duntaxat vita regunt, ab eorum „morte patrueles, aut patruelium filii substituun„tur, ne semper in eadem prosapiae parte di„gnitas consistat, sed ut ad collaterales quoque „ex haereditate deferatur.“ *)

Patzinacitae ergo, nec, ut Hungari, uni domino parebant, sed in 8 principatus erant divisi, nec filius patri, aut filio deficiente frater, prout apud Hungaros, in imperium eorum succedebat.

Electio Arpadi Theophilo imperante (829 — 842.) aut paulo ante contigit, Hungarorum enim majores Theophilo gubernacula tenente, ad ostia Danubii in Bessarabia et Moldavia primum comparent. Si igitur Arpadi electio ad annum 825. verosimiliter statuatur, et ille tunc 20 aetatis annum agebat, 102 annos fuit natus, dum anno 907. teste Anonymo Belae regis Notario **) ex hac vita decessit.

Arpad Magnus dux Hungariae 4 genuit filios: primum *Tarkás* (Ταρκατζ-ὰς graeca terminatio) i. e. *Versicolor*; secundum *Jólek*; (Ιέλεχ) i. e. *bona anima*, tertium Gyújtos (Ιουτοτζ-ας) i. e. *Flammeus*; quartum *Szált* (Ζαλτ-ὰς graeca terminatio) i. e. *Procerus*. Praeterea quintum commemorat Constantinus *Leány-tinó* (Διουντινα) qui contra Si-

---

*) Const. Porphyr. cap. 37.

**) Anonymus Belae cap. 32.

meonem Bulgarorum regem Hungaros ducebat, et probabiliter in pugna occubuerat.

Porro Arpadi filii procrearunt sequentes filios, videlicet: *Tarkás* genuit *Tévelyi* (Τεβέλη) i. e. *Vagator*; *Jólek* genuit *Eszelek* (Εζέλεχ) i. e. *Prudens anima*; *Gyújtos* genuit *Falötse* (Φαλίτζι) i. e. *ligneum, forte fulcrum*; *Szált* genuit *Tág-szü* (Τάξι) i. e. *lato corde praeditus*

Arpadi filii et nepotes aetate Constantini Porphyr. seu anno 959. fatis functi erant, exceptis *Falötse* qui tunc Hungariae imperabat, porro *Tágszü* et *Tazi* (Τασῆ-ς) cujus pater non commemoratur. *Tévelyi* filium habuit *Térmássa* (Τερματζου-ς) i. e. *ampla formà praeditus*. *).

Georg. Pray de his nominibus, quae e Constantino Porphyr. adtuli, id judicii fert, ajens: „Verosimile est, nomina, ut fere Graeci in exoticis solebant, magnopere corrupta fuisse, cum ipsa enunciatio, a Graecorum ore nimium abhorret." Enunciationem vocum Hungararum a Graecorum ore nimium abhorrere, concedo: ast nomina haec Hungara a Constantino corrupta fuisse nego. Graecae lingvae peritus mox videbit, quam recte Constant. sonos Hungaros Graecis litteris exprimere sit adnisus. Sonum Hungarici s seu germanici sch per τζ designat, ut in his nominibus: Ταρκατζ, *Tarkás*; Ιουτοτζ, *Gyujtós*; *Térmássa*, Τερματζου; Hungaricum sz exprimit per Z et Hungaricum Z designat per Σ atque hinc quoque patet Constantini Σαβαρ Hungarice scribendum esse Závár. Accentibus, vocalibus Hungaricis imponi solitis, cum Graecus careat, hi supplendi sunt.

---

*) Constantinus Porphyr. de A. J. O. c. 40.

Genealogia stirpis Arpadianae usque ad annum 959., haec fere est:

Álmos
|
Arpad seu Arany-pad † 907.
|
Leány-tino. Tarkás. Jólek. Gyujtós. Szált. † omnes ante 959.
| | | |
Tévelyi. Eszelek. Falőtse. Tágszü.
† ante 959. dux 959.
|
Tér-mássa.


Ex his intelligere licet, an Anonymi Belae regis historia ducum Hungariae, quae cum Byzantinorum narratione apprime convenit, id vituperii mereatur, quo eam cl. Schlözer condemnat, ajens: „Bald aber vereinten sich alle Geschichtsforscher, die dieses Namens würdig sind, das namenlose Fragment nicht für eine Chronik, sondern für ein vorsätzliches muthwilliges Fabelwerk eines tief unwissenden Geistlichen zu erklären." *) Quasi Schlözeri duntaxat aevum instar Minervae e Jovis cerebro prorupisset! —

Dignitas Imperantis Hungariae aetate Constant. Porphyrog. seu saec. medio X.

Imperantis dignitas exhibetur in titulo, Insigni, Comitatu Aulico, ritu Curiali et equestribus ordinibus. **) De his omnibus silet Constan-

*) August Ludwig von Schlözer in Nestor's russischen Annalen, III. Theil. S. 131.

**) Vid. Antonii Faber J. U. D. Statist. et Jur. metall. in R. Acad. Poson. Prof. etc. Theoreticas institutiones statisticas p. 33.



tinus Porphyrogennetus; ex eo duntaxat discimus, quo titulo Hungariae imperantes in aula Constantinopolitana tunc veniebant. Constantinus Porphyr. *) Arpadem *Magnum ducem* (Ἀρπαδῆς ὁ μέγας Τουρκίας ἄρχων) **) appellat.

Politica Hungariae divisio et res militaris aetate Constantini Porphyrogenneti.

Hungaria juxta fluvios erat divisa, partesque a fluviis denominationem habebant; in quamcumque partem, ait Constant., ***) bellum commoveatur, octo Hungarorum stirpes per fluvios distributae unanimitatem servant, unitis viribus omni cum studio et alacritate adversus hostem decertandi; nec, (ut olim) propriis ducibus subjectae sunt, sed habent primum caput, ducem e prosapia Arpadi. E quibus Constantini verbis patet: Hungaros unam gentem sub unius imperio constitutam, per fluvios distributam, attamen arctissimo civitatis vinculo nexam, ad depellendos a patria exteros hostes semper unanimem, omni momento paratam, promtam, expeditamque fuisse.

Quaevis stirps (octo autem erant, septem videlicet Hungarae, una Kábarorum) ducem (ἄρχοντα) habuit, qui supremum imperium in eam non exercebat, (αἱ δὲ ὀκτὼ γενεαὶ τῶν Τούρκων αὗται πρὸς οἰκείους ἄρχοντας οὐχ ὑπακούουσιν) sed primo capiti, magno duci e prosapia Arpadi subditi erant. (Ἔχουσι δὲ κεφαλὴν πρώτην τὸν ἄρχοντα ἀπὸ τῆς γενεᾶς τοῦ Ἀρπαδῆ κατὰ ἀκολουθίαν.)

*) Const. Porph. de a. J. O. c. 40.

**) Ἄρχων Graecis idem qui Δοῦκας Latinis. Procop. de bello Persico I. 17.

***) Idem ibid.

Res Judiciaria.

Res judiciaria duobus viris erat commissa. Qui hoc munere fungebantur, *Gyülö* (Γυλᾶς cum graeca terminatione) et *Tárchan* Ταρχαν) *) titulo insigniti erant. Tárchan erat minor dignitate, et fortassis ideo *Tár-chan* dicebatur, quod ad eum aditus patebat. An ex *Tár-chan* in hodierno *Tárnok* vestigia supersint, nolim decidere. *Gyülö* major dignitate senatum constituebat, ut ipsum nomen indicat. Dignitas Tárchani apud Turcos et Chazaros usitata ab Hungarorum avis est adoptata. **)

Quomodo Hungarorum avi ex Atelkuzu in Bessarabiam et Moldaviam trasmigraverint, quid ibidem gesserint, et qua ratione inde in Pannoniam transiverint, haec et alia opportuna occasione, fusius pertractata vulgaturi sumus.


---

*) Pro Καρχαν, ut editio Venetica habet, reponendum esse Ταρχαν, ex Menandri de legat. excerptis, patet p. 104.

**) Ταρχάν dignitas erat apud Turcos, hinc etiam apud Chazaros usitata. Vide Menandrum l. c. Aetate Constantini Porphyrogenneti Búltsús (Βουλτζοὺς) i. e. *Indulgens*, Tárchani munere fungebatur.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 12 linea 4 a fine lege ortum pro artum.
— 52 in nota * — — — Theophanes pro Theophanus.
— 71 lin. ult. — — — Σαβαρτ pro Σαβαρ.



62
63
64
65
46
45
44
43
42
I
A R
Kal gyik lacus
Lacus Kasak Kul
Odium Cuma
arend tectum
Colles arenæ
MARE CASPIUM
Kaspisches Meer
Terek Fl.
G
ATELRUD
Koisu Fl.
Dariel
Arx
Kur Fl.
RIA
Tiphlis
62
63
64

